in Polonia.

Ziemecki (Nicolai) Responsio ad libellum qui inscribitur „Consilium de recuperanda et in posterum stabilienda pace Reipublicae etc.

Crac. Andr. Petricov. 1610.

x

RESPONSIO NICOLAI ZIEMECKI

Archidiaconi Pczeuenſis, &c.

Ad Famoſum Anonymi cuiuſdam tenebrionis & calumniatoris libellum, contra Patres Societatis IESV in Polonia,

AD ILLVSTRES REGNI PROCERES editum.

QVI INSCRIBITVR;

Conſilium de recuperanda & in poſterum ſtabilienda pace Reipublicæ: in quo oſtenditur pacem nec conſtitui, nec ſtabiliri poſſe, quamdiu Ieſuitæ in Polonia maneant.

Tota die iniuſtitiam cogitauit lingua tua: ſicut nouacula acuta feciſti dolum: dilexiſti iniquitatem magis quàm loqui æquitatem: dilexiſti omnia verba præcipitationis lingua doloſa: Propterea Deus deſtruet te in finem, euellet te, & emigrabit te de tabernaculo tuo, & radicem tuam de terra viuentium. Pſal: 51.

CRACOVIÆ,
In Officina Andreæ Petricouij, Typographi S. R. M.
Anno Domini, M. DC X.

AD AVTHOREM INFAMIS CONSILII, CONTRA PATRES SOCIETATIS JESV.

Legimus infames, stultas sine nomine chartas,
Quas peste infecit, lingua proterua, procax.
Quærimus authorem, non quisquam dicere quis sis:
Diuinare potest quilibet, vnde? latras.

JN EVNDEM.

Misseni rabies, quidquid vomit inuida, quidquid
Arnaldi è stygio proÿcit ore furor.
Quidquid Lernæi, ructant mendacia monstri,
Et gregis illius, cætera turba spuit.
Excipis ore, iterumq; vomis malè cocta: Mephitim
Quis miretur, olet si tua charta grauem.

PRÆFATIO AVTHORIS AD LECTOREM.

PRodijt duobus ferè abhinc annis, in Patres Societatis IESV, liber authore incerto, ad Illustres Regni Poloniæ Proceres, candide Lector: in quo summa animi impotentia & impudentia, familia hæc Religiosa, quæ pro Ecclesiæ Catholicæ incolumitate, maxima semper adijt pericula, grauissimosq; sustinuit impetus, laceratur, & ad pœnam deposcitur. Qua in re mirari mihi subit, lumbricum istum iam olim in Arnaldis, Missenis, Lernæis, & aliis horum gemellis, Heluetico spiritu actis, à Montano & Gretsero, aliisq; obtritum, nunc iterum, Hidræ instar, attollere caput. Cuius ego furori obuiam vt irem, adductus sum, non timore periculi; quod ab homine contemptissimo, & nullius neq; Gentis, neq; Ciuitatis, imò ne nominis quidem alicuius, immineret: verùm quòd Ordinem hunc, qui pro auita Religione & Sacris, contra nouellas Hæreticorum sectas, strenuè ac feliciter dimicasset, indignissimè tractari non semel, à Momo isto leuissimo, dum sæpius extra Poloniam, hunc suum infamem libellum recudit, indignarer: & quòd defensionem alienæ innocentiæ & gloriæ,

 ad pro-

ad probos omnes pertinere, ab Oratorum principe, & magis à Chriſtiana lege, didiciſſe me profiterer. Nec mihi laborandum fuit, in momentis rationum; quæ aut nullæ ſunt, aut maximum in ſumma mentiendi & calumniandi licentia, præſidium habent, labefactandis: in eo nonnihil erat operæ ponendum, vt noſtræ Gentis hominibus, veteratoris iſtius artes, & impoſturas detegerem; quod quidem me perfeciſſe ſpero. Accipe igitur optime lector libellum; in quo refutatas maledicentiſſimæ linguæ calumnias, non ſine voluptate (vt exiſtimo) tua leges: me verò & operam hanc meam, fauore tuo proſequere. Vale.

RESPONSIONIS AD FAMOSVM ANONYMI CVIVSDAM LIBELLVM,

CAPVT I.

Cur Anonymi famosum libellum refutem, & nunc primùm?

MOnebat, imò facere iubebat sanctiss. Pōtifex Gregorius Magnus, Theoctistam clarissimam & Patritiam fœminam, vt quosdam detractores suos secretò vocaret, iisq; innocentiam suam exponeret. Fecissent & Patres Societatis IESV, idem tecum, conuiciator, si nomen tuum in chartis tuis pestilētibus, typo tenebricoso expressis; vt quis esses sciretur, expressisses. Sed quia illud data opera; vt tantò impudentiùs & audentiùs calumniari, & mentiri impunè tibi liceret, occultasti: publico stylo facere pro ipsis, ego veritatis & innocentiæ amicus, aggressus sum.

Cur verò nunc primùm? id est, nonnisi post duos ferè annos (tot enim sunt elapsi, vt pestilentem tuum hunc librum euomuisti) causa hęc est. Cùm nimirū tota tua Hæretica declamatio, nihil aliud sit, quàm furiosa quędam animi abalienatio, & linguæ petulans deerratio, calumniis & probris, vt plurimùm iam ante Societati, non semel ab aliis tibi similibus, obiectis, & ab illismet corrasis, refertissima: iudicaui initio cùm eam inspexi, indignam refutatione: maximè cùm & ferè tota illa calumniarum colluuies, non semel iam, tum à Patribus ipsis, tum ab aliis viris doctissimis cōfutata & profligata fuerit; & Illustres Regni Polonię Proceres, quibus eam ignominiosè inscripsisti, tanquam stultam & vesanam contempserint. Sed quia intellexi initio mensis Octob. huius anni, & aliquib⁹ nimiùm credulis Polonis persuasúm esse,

 Patres

Patres ideo tam modestè tecum agere, tibiq; nihil respondere, quòd bonitati causæ suæ diffiderent: & in Germania ab Hæreticis sępius tuum hunc informem partum recudi, & magni, vt talia solent, fieri, ne taciturnitas veritati aliquod maius præiudicium crearet, aliter faciendum, silentiumq; abrumpendum statui. Non aliter autem innocentiam ipsorũ tibi exponam, quàm æqua trutina tua verba expendendo, & te apertè ex illis mendacii & insipientiæ arguendo. Fiet autem totum hoc stylo scriptis tuis accommodato, hoc est, simpliciore: vt etiam meliùs crassa tua stultitia omnium oculis subiiciatur, & clara suopte ingenio tua mẽdacia, adhuc illustriora omnibus reddantur.

CAPVT II.

Refutatio inscriptionis quam libello suo præfixit.

INscriptio hæc tua (nec ista enim prætereunda est) ementita, nomen Consilii, fictum & captiosum est. Quærebas tu consentaneam famosæ tuæ actionis inscriptionem; posuisti CONSILIVM &c. at quomodo esse potest? Consilium est, quod ratio, quod prudentia, & quod libertas dictat: in tuo hoc Pharisaico Consilio, ex his an aliquid sit, expende. Ratio te ipsum authorẽ illius defecit: fuisti quippe in scribenda hac criminatione, tecum ipse pugnans, mendax, furiosus, & prorsus sine iudicio; vt luce clariùs, dum illam expendam, ostendam. Prudentiam defuisse cur probem? cùm illa sine ratione esse non possit. Libertatem deniq; abfuisse, tota ipsa commentatio, authoris nomine destituta, clamat. Cur putidi huius ac famosi operis artifex latere voluisti? Cur tuos latratus, propria inficiatione abiudicatos foras edidisti? Cur tuam lucubrationem tanquam proiectum & spurium fœtum, turpissimus abiecisti? O hominem libertatis amatorem. Si pro Patriæ & Regni salute, vt procaciter iactas, ad Proceres Regni eiusdem studiosissimos scripsisti: si contra perditissimos & nocentissimos homines, vt existimas, decertasti; cur nomen tuum, & frontem si quam adhuc habes, in causa & quidem plausibili, tu ipse occultasti? cur Typographi officinam celasti?

celasti? cur locum non addidisti? Timebas forte periculum imminens; sed libertas & constantia te inuitabat, vt auderes, & nomen; imò & vitam tuam in lucem, & in omne discrimen, pro salute patriæ, & pro communi libertate, offerres. At non istud erat, scelus conceperas, ideoq; latere, vt ferales bubones, volebas: mentiebaris, & ideo nomen monstrosum, osq; apud omnes prodere, erubescebas. Falso igitur & mendaci titulo, hoc opus tuũ fœdissimũ, inscripsisti: quàm aptiùs & veriùs fecisses, si illud Delirium male sani cerebri, aut Centones mendaciorum obsoletorum, appellasses.

CAPVT III.

Examen initii Declamationis.

ORsus es telam conuitiorum tuorum ab exemplo. *De Diogene illo Cynico; narrat* (inquis) *Græca Historia, eum cùm aliquando Athenienses videret, in publico periculo solicitè concursare, bellumq; pro patriæ defensione, non citra animorum perturbationem molliri; ne in publica illa solicitudine, solus nihil ageret, cùm armis tractandis per senectutem, etiam minùs habilis esset, dolium in quo ex instituti sui more habitare consueuerat, sursum deorsumq; voluere cœpisse. Hoc factum vt insolens, cùm varij variè interpretarentur, prudentiores iudicabant; virum acutissimum hac ratione docere voluisse, in publico patriæ periculo, nullum ingenuum ciuem ociosum aut securum esse oportere.*

Rideo te hîc lapsum nimis citò, cũ vix iter sis ingressus: errasti statim in ipso limine, & quidem ter; vt eo perfectior error esset, veritate adhuc ne quidem salutata. Dolii te liquor titubare fecit, & Corinthum petens, Athenas ebrius venisti. Non Athenis calumniator, hoc factum contigit (vt te clarè arguunt grauissimi & certissimi scriptores, qui illud referunt; Conradus scilicet Licosthenes, titulo Labor, ex quo alii, & Guido Bituricensis, ex quo ille) sed Corinthi, cùm contra eam Philippus Alexandri Magni pater, bellum & obsidionẽ parabat. Neq; Diogenes, qui armis tractandis per senectutem minùs habilis esset; ne nihil agere videretur, doliũ sursum deorsumq; voluere cœpit: sed quia nihil habebat, quod pro dignitate & nomine Philosophi, commodius

eo tem-

eo tempore ageret. Deniq; ipſe ſui facti, & non alter aliquis amico admiranti, & ab eo percunctanti; cur hoc ageret, hanc cauſam reddidit. *Ideo* inquit, *voluo, ne vnus inter tot operi intentiſſimos ceſſator ſeu ocioſius eſſe videar.*

Cur hæc menda principii tui, minutè referre volui? vt ex illis prudens lector coniiciat & ſtatuat; quid ſentiendũ ſit de tota reliqua tua ſtructura & machina: quæ ſicut cæpta eſt ab erroribus & mendaciis fabricari, ita & ijſdem colophon imponetur. Nihil enim agis in toto hoc libro, quàm deliras, à veritate deuias, conuiciaris. Et certè ſi tam parùm fidelis, non caſu aliquo, fuiſti in referẽda hiſtoria à probatis authoribus literis cõſignata, ex quorum ſcriptis, facilè mendacii aut erroris redargui poteras; quis prudens te veracẽ in aliis, quæ de Societate ſine vllo teſte digno, imò ſine veriſimilibus argumentis, eructas, exiſtimare poterit?

Non laudare nihilominus te non poſſum; nimis aptè exemplo hoc, procacitatem linguæ tuæ & fatuitatem, ac vacuitatem mentis inuitus indicaſti: nam & tu Cynicum egiſti, & inſtar Diogenis, in hoc publico patriæ noſtræ periculo dolium inane, hoc eſt, caput tuum & cerebrum fatuum & vacuum, in quo nec mica iudicii, ſcientiæ aut prudentiæ, aut veritatis inuenitur, voluiſti, cũ iſta contra Societatem IESV ſcripſiſti: voluiſti etiam ſurſum & deorſum: nam mendacia & conuicia hinc & inde quæſiſti, & ex doliis & cadis calumnioſis, bibonũ & ganeonum; ex quibus tua perditiſſima ſecta compoſita eſt, fæces fœdiſſimè vomituſq; cõuiciorum effudiſti. Voluam ego quoq; cùm ſim Philoſophus; ſed alio pacto, hoc tuum dolium: & quamuis iam ita rimis plenum ſit, vt hinc inde fatiſcat, & mendacia tua vltrò diffluãt & euaneſcant; tamẽ meliùs dedolabo & penitus confringam; vt & magis ſit ad rem hoc propoſitum dolium tuum quod attuliſti, & penitus habeas, vnde hæc mendacia haurias, & te ijs ingurgites.

CAPVT IV.

Examen exclamationis & propoſitionis.

Expedito exemplo, ſubiungis exclamationem. *Vtinam hoc ſaluberrimi præcepti exemplum, hodie populares noſtri ſibi imitandũ proponerent.*

ponerent. Videte doliorum istum amatorem, quàm potens merum hausit, statim initio mendaciis ebrius insulsè exclamat. Vnde habes dic; si iam edormisti crapulam, præceptum esse in publico patriæ periculo, nullum ingenuum ciuem ociosum esse oportere. Credis tu fortè, Diogenem, ad satisfaciendum huic præcepto, dolium inane, sursum deorsumq́; voluisse. Si tu, ne ociosus in periculo esses, scyphos & cantharos pro clypeo arripuisti, valde ciuis ingenuus & ingeniosus omnibus fuisti, dignus dictator bibonum creari. At ne quis te argueret seditionis, addis; *in quem finem populares nostri, exemplum illud imitandum sibi proponere deberent: vt scilicet illi quoq; pro virili adnitantur, præsens patriæ nostræ incendium latißimè vagans restinguere; quo pacatis animis tandem Reipublicæ nostræ firma & solida pax restituatur.* Vtinam concordet cor tuum cum ore tuo; sed frustra vota suscipio, cùm neq; verba ex vno eodemq́; ore tuo prolata secum conueniant, pugnantia loqueris; dicis enim optare te vt firma & solida pax Reipublicæ nostræ restituatur: & simul clamas & persuadere conaris; vt tot innocentes, ex ea pellantur & eijciantur. At quæ pax potest esse impiis? Cùm autem increpuisti buccina horrida ad incendium latè patens extinguendum, satis id prouidè: nullius enim maior iactura fortunis quàm tuis, & maximè amplo dolio tuo; quod si conflagraret, quo nimiam tuam sitim bibēdi & maledicendi depelleres: nisi iam ad Lethea pocula anheles, & linguam hanc, qua tam magnam syluam incendisti mendaciorum, Phlegetontis optes immergere vndis. Verùm ne damnū patiaris, hoc ipsum te quoq; facere velle profiteris; quod ab aliis fieri habes in optatis. Sciebas enim, quòd qui docet alios furari, ipsi quoq́; furandum est. Ais ergo: *Ego igitur qui corpore hactenus per Dei voluntatem quàm minimùm valeo; vt ea saltem mei parte, quæ adhuc mediocriter viget, Reipublicæ præsto sim, hunc ipsum laborem in me recipere decreui.* Nunquā veriùs dixisti; sed quis te coëgit, nolentem etiam hanc veritatem fateri? At si ita de te sentiebas; quomodo contra rectum iudicium argumentum huius scriptionis, tam arduum ac difficile, vt ipse etiam statim fateris, humeris tuis impar suscepisti? Verius ergo ego de te dicam, te non solùm corpore, sed etiam illa parte,

quam intellexeras, mente inquam & iudicio, nihil omninò iam valere; ſed fortè neq; vnquam valuiſſe. Cuius rei euidentiã ipſa mendacia tua, & ineptæ ac ſtultæ ratiocinationes demonſtrant: quibus ad nauſeam libellum tuum infarſiſti.

Proponis deinde quid velis hoc tuo ſcripto demonſtrare: materiam ſcilicet potiſſimam, & omnium periculoſiſſimã, flammæ vorantis, in hoc publico incendio patriæ noſtræ. Promittis liberaliter, ſed nihil præſtas; nam relicta flamma & materia, quaſi nullum verbum de ea feceris, totus es in recẽſendo morbo quo Reſpublica noſtra laborat, & in cauſis huius morbi: ſubitò medicus ex cauponario buccinatore factus. Caue ne ad carnificis progrediare honorem. Perſiſtere debebas in metaphora iam cœpta; ſed parcendum tibi: quia amphora de dolio tuo, impleta turbido ſtulti loquentiæ mero, orationẽ reddidit permixtã & turbatã.

Hoc facto, conuertis ſermonem tuum ad Illuſtriſſimos Proceres, eoſq; potiſſimùm tua commentatione te compellare decreuiſſe ais. Legi curarunt nonnulli illam Anonyme calumniator, & vt ſtultam, & ex dolio depromptam, riſerunt; deinde vt peſtilentem damnarunt. Scio quoſdam ex illis Senatores magni iudicii & ſpectatæ virtutis; non domi ſolùm, ſed & foris in exteris nationibus dixiſſe; chartas haſce tuas, dignas eſſe Vulcano, te verò authorem illarum pœna talionis. Et certè in Repub. bene ordinata & conſtituta, minimè eam euaſiſſes; ſed tu ſciebas, vbi illas excudebas, & quibus dolii tui criminationes, non ſuſpenſa hedera diuenderes.

CAPVT V.

Examen Propoſitionis.

PRoponis, quid in hoc tuo ſcripto facere velis, aut debeas. *Si ordine*, inquis, *procedere voluero, neceſſariò aliquid primùm de ipſo morbo, quo Reſpub: noſtra laborat; deinde de eius cauſis erit dicendum.* Videbo diligenter vtrum hoc præſtabis: de qua tota re, te & lectorem infra fideliter monebo.

Maioris autem perſpicuitatis gratia, ais; te mali noſtri publici

vniuer-

vniuersum complexum ad tria capita referre: sub quorum primo (verba tua sunt) *comprehendo periculosam illam diffidentiam, quæ inter subditos huius Regni, & supremum nostrum Magistratum intercedit.* Suspecta mihi est, ista tua formula loquendi. Dic cur eum communi & vsitato nostris ciuibus, Regis vocabulo, non appellasti? intelligis me, credo, quid dicere velim. Malus profectò Reipub. morbus, diffidentia ista, quam narras: sed vtrum laborent illa omnes incolæ huius Regni, clarè non dicis: timeo tamen ne hoc intelligere volueris: sed mendacii & falsitatis facilè palàm argueris. Est hic igitur morbus aliquorum tantùm; quod indicat etiam propositio tua indefinita, quæ vt Philosophia docet in materia contingenti, & non necessaria; qualis est ista, æquiualet tantum particulari. Non magnum ergo quid dixisti; & tantundem morbũ vocare poteras, quo Resp. nostra in præsenti laborat, cædes, latrocinia, inuasiones, expilationes bonorum, ciuitatum, &c.

Postquam retulisti, quid sub primo capite comprehendas; accedis ad secundum. *Secundum,* inquis, *in illo dissidium agnosco; quod inter status quos vocant, hoc est, inter ordinem Ecclesiasticum & Ciuilem seu Equestrem in hoc regno gliscit, patriæq́; iam diu insigne aliquod malum minatur.* Scio dissidium si propriè sumatur, esse vitiũ & morbum animi, pugnantem è diametro cum charitate & concordia: quæ vinculum est communitatis & Reipublicæ. At quomodo appelletur dissidium, oppositio illa, cura & studium, quod Prælati Ecclesiæ Christi in hoc nostro regno adhibent, ne iura illius sancta & iusta, ab hæreticis, & à similibus tui Machiauelistis hominidus (nisi te etiam in primorum numero loces) violentur & conculcentur (quod passim eos conari, & nimis factitare, proh dolor videmus) non video: & pari ratione dicere debes, inter Deũ quoq; & peccatores esse dissidiũ, & hunc esse morbum mundi. Video quòd ineptus es medicus: morbos enim non nosti. Nec mirum; quia illi sunt extra sphœram dolii tui.

Sub tertio, inquis, *capite: illud inusitatum inter Polonos factionum studiũ intelligo: quo ordo Equestris hoc præcipuè tempore, ita grauiter laborat; vt ad efficax aliquod remedium, malis publicis adhibendum, nec virium satis, nec sufficientem authoritatem habeat.* Nesciebam te sub capite intellige-

re: quid mirum, si desipis; cùm non in capite intelligas. Inuolutè hîc balbutis, edissere fabulam istam: quodnam est hoc factionũ studium? quos tu hîc factiosos ordinis Equestris Polonos intelligis; illosné qui Regiam personam, dignitatem, & honorem defendentes, causa fuerunt, cur alii conatus, & consilia sua (sciunt prudentes qualia) ad exitum non perduxerint; vel alios his contrarios. Videsné vt inuolutè loqueris, cur ita? quid timebas? ne te proderes, & hoc pacto plures falleres. Doles quòd Equestris noster ordo, propter factionum studiũ, nullum efficax remediũ malis, seu morbis publicis adhibere possit: Audi quàm morbidè doleas. Ostendisti tres morbos præcipuos Reipublicæ nostræ; quibus omnibus per te, ordo Equestris laborat: inspice & videbis, ille ergo iuxta prudens dictamen rationis, curari ab his morbis: non curare illos debebat.

Post hæc taxas errorem illorum, qui volentes causas horũ morborum aperire, loco earum morbum ipsum, vel symptomata illius narrant. Quàm verò rectè hoc facias, statim tibi ostendã. *Mihi ergo,* ais, *ne idem accidat, generales causæ persequendæ sunt, indicandumq́; qua ratione illæ; si non tolli, minui saltem, & sensim mitigari queant.* Causas verò has duplices esse statuis. Internas & externas. Internas ais esse præter peccata priuatorum, quibus Polonia hoc tempore, saltem non obruitur; in specie Religionis illud dissidium, & factiones, rei familiaris auarum studium, &c. Ecce homo superbe accidit tibi, post quatuor lineolas illud ipsum, quod in aliis reprehendebas, & quod te nõ incursurum tam magnificè promittebas. Volebas nũc causas generales morbi superiùs recẽsiti, quo Respub. nostra laborat, & nõ morbum ipsum indicare; & ecce factiones, quod ante generalem morbum Reipublicæ nostræ esse dixeras, nunc vt causam generalẽ internam illius morbi adfers. Cur verò Religionis dissidium causam morbi; non ipsum morbum Reipublicæ nostræ esse dixeris, rationem nullam; præter ignorantiã tuam, aut malitiam, subesse video. Fateris enim illud esse vitium animi, & publicum, eoq́; Rempub. nostram laborare; & certè vniuersalius esse, turpius, & periculosius, quàm dissidium, quod est inter Ordinem Ecclesiasticũ & Equestrem, nemo negare potest, qui

reſt, qui quid ſit vera Religio & hęreſis, quę ei aduerſatur, probè nouit. Quo longius progrederis, eò te magis ebrium video; ac ſtatim vbi medicum agere circa alienos morbos cœpiſti, delirus euaſiſti; niſi fortè nunquam ſana mente fueris.

Pergis poſtmodũ peccata patriæ noſtræ numerare: nihil autẽ dicis, quæ ſit cauſa, cur præter morem, tot & talia peccata in ea exundârint. Dicam ego tibi iam aliquot. Prima eſt hæreſis peſtilentiſſima (Lutherana ſcilicet, Caluiniana & Arriana) cuius tu, cùm ferè omnia publica peccata Patriæ noſtræ enumeraſſes, nullam prorſus mentionẽ feciſti. Cur ita? Secunda eſt, languor in plurimis Catholicæ fidei & tepor. Tertia, & hæc præcipua, Diabolica, & ex ipſo Tartaro eruta Neopolitia huius temporis; id eſt, cura rerum priuatarum, & publicarum, poſtpoſita ſeu cõtempta Religione; quæ in pluribus Equeſtris ordinis nationis noſtræ hominibus, ſimilibus tui, etiam Catholicis regnat. Neq; tibi mirum ſit, Neopolitiam quam dixi, eorum quæ recenſuiſti peccatorum, & aliorum eſſe cauſam, & præcipuam. Sicut enim vmbra corpus, & famem peſtilentia ſequitur; ſic profectò varia peccatorum genera, Neopolitiam ſequuntur. Quod adeò manifeſtum eſt, vt proteruiæ ſit negare. Certè præcipui Neopolitici non niſi nequiſſimi fuêre; quod ipſum clarè patet in Principe Neopoliticorum: cuius fœdi hominis, tum ipſius, tum librorum, in quibus nihil ferè præter tyrannidis inſtituendæ præcepta tradit, vtinam memoria, ſempiterna obliuione ſepeliatur. Et non aliud eſt aſpirare ad ſummam Neopolitię laudem; quàm ad Atheiſmum, & omnis Religionis contemptum tendere. Sed ad noſtri inſtituti propria redeo; neq; enim Machiaueliſtas deſcribendos & impugnandos ſuſcepi. Sunt multi qui hoc feliciſſimè & præclarè fecerunt. Talis eſt Petrus Ribadinera Hiſpanus, ex Patribus: quos tu inſtar ſuis Bœoticę grunnitu tuo fœdiſſimo inquietas. Talis eſt & Hæreticus quidam Anonymus, qui egregiè nuper Machiauelum impietatis & nequitiæ, ex illius ipſius ſcriptis conuicit.

Doces poſthæc, quomodo circa cauſas iam enumeratas, eſſet procedendum. *Cohibere*, ais, *oportet priùs & amouere cauſas externas, quæ irri-*

quæ irritant internas. Ex externis autem; iudicio præstantium virorum, in singulis ferè nationibus, præcipua est, Religionis dißidium: ex quo omnes ferè Europæ, Regnorumq; Europæorum, ab annis 60. & circiter, turbæ & seditiones primam suam & generalem originem traxerunt. Nonné Religionis dissidium causam internam morbi, quo Respub. nostra laborat, superiùs dixeras: quomodo ergo nunc iterum illud causam externā esse eiusdem morbi asseueras: cùm diuersas omnino, imò & oppositas definitiones causæ internæ & externæ tradideris. Mirari hic cœperam, videns quòd tam sæpè Religionis dissidiū in ore fœtido à mendaciis & doliis vitiorum habeas; sed tu sequentibus verbis tuis, causam admirandi sustulisti, & te illis qualis sis prodisti.

CAPVT VI.

Impietas Anonymi in Ecclesiam, Pontifices, & Episcopos.

INcipis in gratiam illorum; vt tu dicis, qui in his rebus minùs exercitati sunt, vt meliùs intelligatur, dissidium hoc Religionis explicare. quàm autem hoc insulsè facias, quàm stultè, quàm minùs syncerè, quàm fraudulenter, addam quàm impiè: hęretico spiritu, vel peiore Machiauelistico afflatus. Criminis enim insimulas Pontifices, Ecclesiam, Episcopos; ipsum deniq; sacrosanctum Concilium Oecumenicum, Tridentinum: à quo perfunctoriè factam esse asseris, non sine fraudis suspicione, reformationem Cleri, ab omnibus Regnis & Nationibus expetitam. *Reuera enim,* inquis, *hoc tantùm curauit; vt statum secularem Ecclesiasticis denuò subijceret, atq; ita constringeret, vt authoritatem Romanam & iugum amplius excutere non posset.* Norunt ij, qui aliquam istarum rerū de quibus loqueris, habent notitiam; ego data opera, nolo te in illis mendacii coarguere: ne contra rationem instituti mei, facere videar. Societatem enim IESV tantùm defendere vt initio professus sum, verba tua æqua trutina expendendo, suscepi. Eò ergo me conuerto, hoc solo notato: Estne hoc Religionis dissidium, minùs exercitatis explicare (quod te facere ipse vltro offerebas & promittebas) Pontifices, Episcopos, Concilium & Ecclesiam cri-

ſiam criminari: nec aliud quid illud eſſe, quàm reformationem Cleri & Religionis à Concilio Tridentino inſtitutam aſſerere: quorum primum te hæreticum inſignem; ſecundum verò ſtultū eſſe clarè indicat. Dolebas vt Hæreticus, non eſſe adeò multos exercitatos, in exagitandis Pontificibus, Epiſcopis, & Eccleſia; ideo docere eos voluiſti. O didaſcalum ſchola hæretica non indignum. Religionis diſſidium fuiſſe ante Concilium Tridentinum, ita certum eſt, vt à nemine negari poſſit; cùm ad tollendum hoc diſſidium, à Luthero monacho apoſtata excitatum, Concilium illud inſtitutum fuerit; vt apparet etiam ex indictione ipſius. Quàm hoc loco commodiùs dixiſſes, de diſſidio illo, quod inter te eſt mendacem, & veritatem; inter tuam nequitiam, & probatos mores bonorum; inter dolium fatuitatis tuæ, & inter vaſa electa & plena ſapientiæ. At fortaſſe debebatur hoc tuo cerebro ebrioſo, vt de Concilio hoc grunnires; de quo hactenus omnes probi tacuerunt.

CAPVT VII.

Patres Societatis IESV, *non ſunt authores malorum Regni Poloniæ.*

ACcedo ad illa verba, quibus interroganti cuipiam, ſi ſcire ex te vellet; quinam ſunt illi, qui totius mali in hoc Regno noſtro præcipuam culpam ſuſtinent, reſpondes. *Si conſentiens teſtimonium eorum, quos in hiſce rebus periculoſa experientia longo tempore edocuit, admittere, & ipſam rerum euidentem inter nos experientiam in conſilium adhibere velimus;* IESVITÆ *ſunt, & inſtitutum* IESVITICVM. Hiccinè tua veritas Euangelica?

Non habeo quid hîc tibi magnitudine mendacii attonitus dicam; manus tamen non do. Sic enim iudico, ſola huius mendacii verba, palam recitata, ſufficientem eſſe confutationē, & quas faber cudiſti compedes, ipſe geſtas; quandoquidem à nullo hominum in Polonia, præterquam à te barbatenus ſapiente hoc Patribus Societatis IESV affictum vel obiectum eſt. Sed tu palam te hoc demonſtraturum promittis. Audiam te, & arguam mentientem in caput tuum. Hoc autem ſic te effecturum doces.

Oſtendam,

Ostendam, inquis, *duo. Primum instituti Iesuitici; si per se consideretur, eam esse rationem, vt liberæ Reipublicæ valde inimicum & aduersum: libertati verò Polonicæ inprimis formidandum sit. Secundum est, statum politicum, alibi per Europam re ipsa, periculosè ab hac secta turbatum esse. Cuius rei viua exempla fidem faciunt. Quæ duo, si demonstrauero; id quod principaliter intendo sua sponte sequetur. Iis nempè, qui Rempub. restitutam & saluam cupiunt, præcipuè operam dandam esse, vt Iesuitæ & Iesuitismus extra Regnũ eliminentur.* Bona verba quæso, noli debacchari baccho plenus, mitiùs quæso; vide quid agis. nam eodem tempore, quo libertatem Polonam maximè vindicare conaris, eandem stultissimè opprimis. Etenim contra iura Nobilitatis nostræ est, homines Equestris ordinis (quales plurimi sunt Patres Societatis in Polonia) vel in exilium & extra Patriam ablegare; cùm iudicium non detrectant, & citati Iudicibus se sistant: vel non auditos, nec legitimè conuictos, (quod tu in fine declamationis tuæ, vbi ego plura, vis vt cum Iesuitis fiat) pœna punire: quod nec ipsa Regia Maiestas, se velle facere, iurat & profitetur.

Sed antequam insipientiam tuam, & libidinem criminandi, circa duo allata à te, arguam; audi quid dico. Quamuis illa duo, dato non concesso, vera essent; quomodo ineptissime homo sequitur, & ad oculum, vt tu dicis, demonstratur; homines Societatis IESV, authores fuisse, totius mali in Regno Poloniæ. Ego certè non video. Nam si hoc ex illis duobus sequitur, ergo eodẽ pacto sequitur (quod neq; tu ipse, quia falsissimũ est, admittes) Patres esse etiam authores malorum, & tumultuum, quos Imperator Turcarum in suis Regnis experitur: quia scilicet institutum illorum est Monarchicum, & re ipsa alibi statum Politicum turbarunt. Vtar ergo ego quoq; pace tua simili modo argumentandi, quandoquidem apud te valet. Tu, vt ostendi, & ostendam, mentitus es in his chartis tuis multoties. Sequitur ergo quòd in quocunq; versu & verbulo mentiaris. Demonstrasses tu nobis profectò satis superq;, penes Iesuitas esse, præcipuam culpã totius mali, quod Patria nostra perpessa est; si illud consentiens esse testimoniũ de illis in Polonia ostendisses: & personas, quorũ illud erat alicuius authoritatis, prudentiæ, ac fide dignas nominasses.

Et hoc

Et hoc tibi faciendum erat. Sed quia hic mendacium tuum manifestè deprehenderetur, aliud quid aſſumpſiſti; vt tenebras tãtùm minùs peritis, & ad pauca reſpicientibus, offunderes.

CAPVT VIII.

Inſtitutum Societatis non eſt liberæ Reipublicæ inimicum.

QVòd inſtitutum Societatis, per ſe conſideratũ, non ſit inimicum liberæ Reipublicæ, clariſſimè te conuincunt, mẽdacii aut ſtultitiæ: primùm quidem ipſa eſſentia illius, quæ non in alio, quàm in tribus votis, Paupertatis, Caſtitatis, & Obedientiæ, communibus vnicuiq; familiæ Religioſæ; & in docẽdis pueris ac rudibus doctrinã Chriſtianã: ac deniq; in habendis ſcholis, in quibus iuuentutem, non minùs in literis quàm in pietate exerceant, cõſiſtit: quorum nullum luce clariùs, liberæ Reipub. aduerſatur. Deinde contraria ſententia vniuſcuiuſq; liberæ Reipublicæ: nulla enim earum hactenus (neq; enim illas excipio, quæ hæreſi ex toto infectæ ſunt vel fuerunt) de Societate (cùm tamen non defuerint in vnaquaq; oculatiſſimi examinatores & inſpectores inſtituti & vitæ illorum) tam ſtultum iudicium, quale eſt tuum, habuit. Cita ſi habes, legiſti, vidiſti, vel audiſti, ſaltem aliquando tale quid de illis. Imò vnaquæq; Reſpublica libera à contagione hæreſis immunis, honorificè ſemper de Societatis inſtituto ſenſit, & ſibi ſalutare ſpontè profeſſa eſt. Teſtes huius rei adduco domicilia, quæ non ſolùm exædificari & fundari Patribus ab aliis liberè permiſerunt; ſed & ipſæ à fundamentis, non priuatis ſumptibus, ſed publicis extruxerunt. Tertiò, authoritas ſacroſancti Concilii Tridentini: quod Societatis inſtitutum pium appellat: verba illius ſunt hæc. *(Seſſ: 25. c. 16.) Per hæc tamen ſancta Synodus, non intendit aliquid innouare, aut prohibere, quin Religio Clericorum Societatis IESV; iuxta pium eorum inſtitutum, à Sancta ſede Apoſtolica probatum, Domino & eius Eccleſiæ inſeruire poſſint.* At quomodo pium eſſe poſſet, ſi liberæ Reipublicæ valde inimicum & aduerſum eſſet; niſi forte dicere velis, etiam piũ aliquid natura ſua, liberæ Reipublicæ valde

inimicum & aduersum esset; nisi fortè dicere velis, etiam piũ aliquid natura sua, liberæ Reipublicæ, valde inimicum & aduersum esse posse. Sed tunc iam Societatẽ non accusares, imò laudares, & stultè ac impiè ob hanc causam eliminare extra regnum prætenderes. Deniq; apertè Rempublicam liberam, impietatis argueres: pium enim non nisi impio aduersatur. Si verò hoc non dicis; quomodo audes heluo mendaciorum & calumniandi cupidissime, huic sacrosancto Concilio, iudicium tuum opponere; in quo doctissimi quiq; ex toto orbe terrarum, quorum nulli tu comparandus es, aderant. Lege Catalogum illorum ad finem eiusdem Cõcilij; in quo etiam inuenies decus illud Patriæ nostræ, & sempiterna memoria dignum, Stanislaum Hosium, Sac. Rom: Ecclesiæ Cardinalem, Episcopum Varmiensem: qui non solùm eidem Concilio vt alij, adfuit; sed etiam vt Legatus Summi Pontificis Pij IV. præfuit. Nouerat ille benè, quid sit liberæ Reipublicæ aduersum, quid non; & tamen ipse etiam Institutum Societatis pium esse asseruit, & primus ex Polonis, homines huius SS. Ord: in Poloniam secum adduxit, & in Collegio extructo locauit. Aderat in eodem Concilio & alter Senator Regni nostri, Valentinus Herburtus, Antistes Præmisliensis: vir nõ nobilitate tantùm, sed & doctrina, pietate, ac zelo Religionis Catholicæ clarissimus.

Quartò, grauissima testimonia Sanctorum Pontificum. PAVLVS III. qui primus Societatem Anno 1540. confirmauit, cùm Institutum Societatis, formula comprehensum, perlegisset, Pontificio planè afflatu, de eo dixit: *Spiritus Dei est hic*. Aduersariné potest illa res liberæ Reipublicæ, in qua Spiritus Dei est, qui non nisi spiritui malo inimicus & aduersarius esse potest? Idem Pontifex in literis suis, Anno 1545. pro Societate datis, hæc dicit: Attendentes ad fructus vberiores, quos in vinea Domini hactenus produxistis, & producere non desinitis, vestra Religione, integritate, scientia, doctrina, moribus & experientia. Eadem ferè & ampliora habet in literis pro Societate Anno 1549. datis.

IVLIVS verò Pontifex III. in literis, Anno 1552. datis, dicit se induci Patrum virtutibus, non solùm ad confirmanda ea, quæ à prædecessoribus suis Societati sunt concessa; sed & ad ampliores fauores, & gratias conferendas.

PIVS

PIVS Papa IV. in literis, Anno 1561. datis, dicit: Etsi debitô Pastoralis officij singulos Religiosos paterna dilectione prosequamur; ad illos tamen, qui sicut nomen sociorum IESV assumpserunt, ita opera, doctrina, & exemplis Dominum nostrum IESVM Christum imitari, & eius vestigia sequi nituntur. &c.

PIVS V. ex S. Dominici familia ad Pontificatum assumptus, in literis Anno 1568. datis, dicit: Institutum Societatis innumerabiles fructus benedicente Domino, Christiano orbi felicissimè attulisse. In literis Anno 1571. hæc habet: Dum indefessæ considerationis intuitu perscrutamur, quantam Christianæ Reipublicæ vtilitatem attulerint dilecti filij Presbyteri Societatis IESV, facere nullo modo possumus; quin eos tanquam veros palmites in Christo per charitatem coniunctos, & benignè amplectamur. &c. Ampliora dicunt in suis Bullis, Gregorius XIII. & XIV. Deniq; ipse PAVLVS V. qui nunc felicissimè & sanctissimè præest Christi Domini Ecclesiæ. Quorum omniū testimonia, si Catholicus es magni facies; sin hæreticus, contemnes: sed nō idcirco infringes, vel te non stultè cōtrarium sentire ac dicere probabis.

Quintò & vltimò, quis hominum hactenus, nisi stultus vel hęreticus, tale esse institutum Societatis dixerit, quale tu esse caluminaris: profer testimonium, ex libris impressis, vel vnius Catholici viri prudentis, & Deum timentis. Illud quod addis: *Institutum Iesuitarum libertati Polonicæ inprimis formidandum*, risu potiùs, quàm confutatione dignum est.

Quod verò Religionem hanc sectam appelles, non miror, cùm sciam Iudæos similes tibi, Romæ eodem nomine, ipsam Catholicam fidem, coram Apostolo Paulo vocasse: vt habetur in actis Apostolorum, c. 28. Rogamus, inquit, à te, dicebant illi, audire quæ sentis: nam de secta hac notum est nobis, quia vbiq; ei contradicitur. Non carent & hæc verba consolatione. nam sicut, vt ait D. August: in Psal: 63. Christus Dominus à Iudæis seductor dictus est, ad solatium seruorum suorum, quando dicuntur seductores; ita & fides Catholica ab iisdem dicta est secta, ad solatiū familiarum Religiosorum, quando ab hæreticis vel politicis vocantur sectæ. Quanquam enim hoc nomen secta, aliquando non in malo sensu accipiatur, quo pacto Tertul: (*libro de fuga & palio.*)

 & D. Cy-

& D. Cyprianus (*epist: 23. & 24.*) Religionem Christianam sectam nominârunt; tamen ex communi modo loquendi hominũ, non minùs nunc malè audire solet secta, quàm hæresis; tamq; peruersi dogmatis homines vocamus sectarios, quàm hæreticos: ac proinde id nomen de Religione ab Ecclesia approbata, non nisi impiè vsurpari solet. Mirum est autem, quòd cùm Religionem Societatis sectam nominaueras, non simul etiam veriùs, & sine vlla nota impietatis; si exprobratio abesset, reliqua Iudæorũ verba ex capite iam citato: *Quia vbique ei contradicitur*, (vt eis per omnia similis esses) adieceris & vsurpaueris. Verissimum enim est, huic Religioni vbiq; contradici, & illam esse tanquam signũ cui contradicitur: hæreticis etiam stultitiam, politicis verò scandalum. Et hoc ideo, vt cuius nomen & vitam, nimirum Iesv ducis sui gerit, illius etiam in se opprobria, contumelias & contradictiones; quo ei magis ac magis assimiletur, experiatur. Nam si quicunq;, qui sub signo Christi militat, contradictionem experiatur est necesse, sique de mundo non est, oderit eum mundus, iuxta Apostolum oportet: Deniq; si semper, vt D. Hieron: in cap: 42. Ezechielis ait, virtutibus contradicitur; quid mirum si hominibus Societatis Iesv semper & vbiq; contradicatur? Obiter dico, te ita loqui de hac Religione, vbicunq; illius mentionem facis; vt hactenus homo nunquam probus & prudens, sed vel hæreticus vel sycophanta aliquis locutus est: perpetuò enim in ore habes Iesuitismus, Iesuitica secta. &c. Nec mirum, nam & tu in numero vtrorumq; & haud postremus es.

CAPVT IX.

Examen primæ probationis, qua ostendere conatur, Institutum Societatis esse inimicum Reipublicæ liberæ.

PRomiseras te non verbis sed argumentis ostensurum, institutum Societatis, inimicum esse Reipublicæ liberæ: quod & re ipsa præstare impiè conaris, dum tres probationes adfers: Primam petitam ex ordinis istius politia: Secundam ex fine instituti: Tertiam ex praxi seu mediis. *Ordinis*, inquis, *Iesuitici politia seu regimen in subditos vel ciues suos est Monarchicum: vno enim capite regitur,*

regitur, & eo vni etiam loco, vrbi nimirum Romæ, alligato; vt ibi vno certo & vniformi aëre perpetuo consistorij Romani afflatu regatur & vegetetur. Si ergo ad formam syllogisticam tua probatio redigatur, tale ex ea argumentum, non aliud conficitur. Institutum Iesuiticum est Monarchicum; ergo liberæ Reipublicæ valde inimicum & aduersum: libertati verò Polonicæ inprimis formidandum: ac proinde à primo ad vltimum, ab iis qui Rempublicam Polonam restitutam & saluam cupiunt, Iesuitæ extra regnum eliminandi. Quàm bellè argumentaris, audi. Gubernatio seu regimen Ecclesiæ Catholicæ, est purè Monarchicum: ab vno enim capite, summo scilicet Christi in terris Vicario regitur: imò hoc caput, Vrbi nimirum Romæ, magis quàm Generalis Iesuitarum alligatum est: ergo liberæ Reipublicæ valde inimicum & aduersum; libertati verò Polonæ inprimis, & magis quàm Iesuitarum institutum formidandum: ac proinde ab iis qui Rempublicam Polonam restitutam & saluam cupiunt, extra Regnum Ecclesia Catholica eliminanda. Itē: Regimen spirituale Ecclesiæ, seu synagogæ Caluinisticæ, vel Lutherianæ &c. est purè monarchicū, & magis quā Ecclesiæ Catholicæ: nam vt plenis buccis dicere solent; ab vno capite, eoq; inuisibili, absq; vicario in terris regitur (nisi quod hoc caput vrbi Romæ non est alligatum, cùm ibi nulla membra Caluinistica, vel Lutherana habeat) ergo liberæ Reipublicæ valde inimicum & aduersum: maximè cùm hæc pestis, seruos contra dominos, & homines liberos, insurgere faciat: ac proinde ab iis qui Rempublicam Polonam restitutam & saluam cupiunt, extra regnum quantocius eliminandum. Similiter vniuscuiusque nobilis in Polonia, ex vi nobilitatis, regimen in suos subditos est purè Monarchicum; imò magis quàm institutum Iesuitarum: ergo liberæ Reipublicæ valde inimicum, &c.

Sed poteras; quia tam argutus es, ex eodem antecedēte, quod ad probationē tuæ conclusionis attuleras, deducere quamcunq; aliam conclusionem, nimirum & hanc: Ergo stultorum est plenus numerus, ex quibus tu vnus es.

Directè ergo concesso tibi Antecedente, Institutum scilicet Societatis esse Monarchicum, nego cōsequentiam; esse illud inimicum & aduersum liberæ Reipublicæ: sed diuersum ab illo re-

gimine quo Respublica libera regitur. Multa alia falsa & nihil ad rem more tuo, in hac prima probatione admisces; & vt aiunt ex vno saltas in aliud: quæ singula persequi onerosum nimis esset; satis erit aliqua breuiter recensere. Mendacium est: Institutum Iesuiticum Hispanico imperio, vt tu ais, insertum esse. (hoc tu ex Arnaldo Gallo causidico accepisti) Simile huic, illud de septem Generalibus; quos hactenus à Societate sua (vt mihi certum est) instituta, nonnisi quinq; habuerunt. Maius verò est illud; quod solos illos ex omnibus ordinibus, ab vtriusq; fori ordinaria iurisdictione exemptos esse affirmas. Nullam enim in hoc singularem prærogatiuam illi habent, inter alios Ordines. Nam & Patres Bernardini, & S. Dominici, &c. ab iurisdictione fori secularis, & spiritualis, Episcoporum exempti sunt: in qua re ad illos ipsos, & ad Episcopos te remitto. Maximum autē, quod Societatem diligenter cauere asseris; ne in nationibus Prouinciales vnquam ex indigenis eligant; sed vel Hispanis vel Italis dignitates illas conferant: aut saltem iis qui ex Anglia, Gallia, &c. propter facinora aliqua profugerunt, & propter nimium Hispaniæ studium, ex prædictis nationibus proscripti sunt. Ad diluendum hoc tam insigne mendacium vel calumniam, ne verbum dicam; tantùm oro lectorem: vt diligentissimè inquirat, sintné tales in Polonia inter Patres Societatis IESV. In tota enim hac Prouincia Poloniæ, (imò & in altera, quæ est in Lithuania) nullum Gallum hominem habent; vnum verò tantum Anglum Sacerdotem, satis ob probitatem suæ virtutis notum multis, etiam viris illustribus; non vt tu impiè impostor ais, profugum ex Anglia, propter facinora aliqua: sed à Stephano Polonorum huius nominis primo, piissimo & Catholicissimo Rege, ex carcere literis postulatoriis, apud Elisabetham Reginam Angliæ; in quo ab illa propterea, quòd esset Sacerdos & Iesuita, detinebatur, & tortura, ac aliis tormentis cruciabatur, liberatum. Seniores etiam Rectores, vt tu vocas, non rarissimè ex nobilium ordine in Polonia adoptant. Testes huius rei nunc etiam præcipua sunt Collegia Prouinciæ Poloniæ, Posnaniense, Lublinense, Toruniense, & Sendomiriense. Quare coniectura illa tua, quam cur hoc facerent, attulisti, mendacium est; non dissimile illi, cuius coniectura est.

ctura est. Vltimò tandem dicis: *In illa vltima desperata totius Regni Galliæ perturbatione: ex solo Iesuitarum ordine, neminem, ac ne vnum quidem Iesuiticum indiuiduum fuisse, qui Reipublicæ partes secutus esset; cùm contra ex omnibus aliis Clericorum Ordinibus permulti Regias & Reipublicæ partes fideliter tuerentur.* Refutauit clarissimè, & vt aiunt ad oculum, hanc calumniam, iam pridem, Illustris Franciscus à Monte Gallus in sua defensione; quam pro Societate contra Arnaldum Gallum causidicum & hæreticum, (à quo tu venenum hoc, aspis à vipera mutuatus es) edidit: quam recussam Cracouiæ ante aliquot annos, vidi & legi. Pulchrè tale quidpiam contra Patres cuidam obiicienti, prudentissimus & Christianissimus Rex Galliæ; qui nunc felicissimè regnat, in causa illorum respondit. Non mirum, inquit, quòd meas partes secuti non fuerint: iure enim volebant Regno huic non debere, præfici hominem hæreticum; qualis ego tunc fui.

Ego illud solũ addo, Anonyme scriptor: examinastiné de hac re, tu, vel quicunq; alius hominum, vnumquemq; Iesuitarum, qui inibi tunc morabantur: quod si hoc non est factum; vt non est, quomodo tu & quiuis alius tui similis, talia tam audacter proferens, non vanissimus & flagitiosissimus nebulo appelleris; & appellatus, non debito titulo, te insignitum meritò arbitraberis.

CAPVT X.

Ignorantia & nequitia Acephali de voto Obedientiæ.

POstquam ostendisti regimen Societatis esse Monarchicum, explicas disciplinam illius. *Arctissima,* inquis, *disciplina vtitur hoc institutum in suos.* Quid agis, laudasné hîc, an vituperas? seriò an ioco dicis? *Ciues,* inquis, *suos ad cæcam obedientiam, sicut ipsimet loqui consueuerunt, adstringunt; in tantum, vt minoribus, in nulla maiorum vel absurdissima imperia, inquirere liceat, ne dum ea aliquis detractare ausit.* Contra naturam tuam fuit verum dicere; ideo statim mendaciũ admiscuisti: & vt grauius foret, furatus es illud ab Arnaldo Hæretico; cui & illius mendacio, respondit appositè Franciscus à Montibus. Citat ille & verba Regulæ, qua hoc tantùm præcipitur Societatis hominibus; Iudicium suum cum eo quod Superior vult & sentit, in omnibus rebus, vbi peccatum nõ cerneretur,

omnino

omnino conformantes. Probat hanc exceptionem ſumptam eſſe ex D. Bernardo, & aliis SS. Patribus. Lege ibi hæc, & alia plura pertinentia ad præſentem quæſtionem. Scurriliter etiam in eandem obedientiam, inuectus eſt poſt Arnaldum, Gallus quidam Catechiſta: dictus ſic, quia ſine nomine Catechiſmum Ieſuitarum edidit; in quo nihil habet, præter mendacia & calumnias cõtra Societatem, antiquas & corraſas ex ſcriptis Arnaldi, ſuppreſſa reſponſione Franciſci; quaſi eam non viderit. cui quid ad hæc reſponderit Anno 1606. Ludouicus Richeomus Societatis tunc in Galliis Prouincialis, in ſua expoſtulatione ad Henricum IV. Regem Chriſtianiſſimum; vide ſi placet caput illius 73. lege & quintum caput Apologiæ, quam Iacobus Gretſerus Societatis, vir in omni genere literarum doctiſſimus, edidit nuper pro Societate IESV, contra Gabrielem Lermæum Caluiniſtam; qui inter alia, hoc etiam cœcum obſequendi ſtudium, cœcus homo calumniatus eſt. Ego vnum addo. Mirum mihi eſſe; te Præpoſitis Religionum in ſubditos ſibi, qui eis non temporalis ſtipendij cauſa, ſed amore Chriſti parere debent, nolle tantum concedere; quantum ex ratione militaris diſciplinæ, & ad bellum rectè gerendum, neceſſariò vides (ſi non es cœcus) concedendũ eſſe belli Ducibus in ſuos milites. Volunt enim illi, imò & exigunt rationabiliter, quoad regimen bellicum, à militibus ſuis, obedientiam cœcam; id eſt, qua cœco modo, cauſas præcepti curioſè nec exquirendo, nec diſcutiendo, extemplò iuſſa faceſſant Imperatorum. Talem poſtulauit Lucius Papyrius Curſor: vnde in eum qui claſſico reuocatus tardiùs pareret, perinde animaduertebat, ac ſi ciuem vel ſocium iniuria occidiſſet. Didicerat & re ipſa declarauerat, hoc obſecundandi ſtudium, miles ille, celebratus ab Hiſtoricis; qui iam iam gladium in hoſtem infixurus, ſigno Cyri iuſſu, receptui dato, manum retrahens ex acie deceſſit: roganti verò cuidam, cur hoſtem quem in poteſtate habebat non occidiſſet; Quoniam, inquit, melius eſt parere Imperatori, quàm hoſtem occidere. Quid quod Scipio maior, Imperator clariſſimus, in exercitu ſuo tales milites, id eſt, dictis audientes, ſe habere meritò gloriabatur. Percontanti enim cuidam in Sicilia: qua re fretus claſſem educere pararet in Africam; oſtendit viros

armatos

armatos trecentos, ſubdens. Nullus horum eſt, qui non conſcẽſa turri, ſemet in mare præcipitaturus ſit, ſi iuſſero. Hoc & alij Imperatores in votis habuerunt. Hinc enim ortæ fuerunt illæ ſententiæ, Braſidis: qui teſte Thucydide, tria in milite requirebat; velle, vereri, & Ducibus obedire. Huc accedit quod & Paulus Æmilius (vt refert Liuius lib: 44.) tria militi curanda eſſe dicebat; corpus vt quàm validiſſimum & perniciſſimum haberet, arma apta, animum ad ſubita imperia paratum: cætera Diis immortalibus & Imperatori curæ eſſe. Hoc ipſum Clearchus, vt Valerius teſtatur, militum ſuorum auribus ſubinde ſolebat inculcare. Militi magis eſſe metuendum Imperatorem, quàm hoſtem. Si ergo hæc in Imperatoribus & eorum ſtrenuis militibus vituperare; ſi perfrictæ omnino frontis non es, nequaquam audebis; ſi quod maius eſt, demirari & laudare debes neceſſariò; cur ea in hominibus Deo dicatis, & in Superioribus illorum immeritò reprehendis? Virtus enim laudabilis eſt, in quocunq; inſit: & Chriſtus (cuius vicem gerunt Antiſtites Religionũ) maior eſt Imperatore.

CAPVT XI.

Examen ſecundæ probationis.

DIſpiciamus iam, vtrum hîc doctiùs probes, Inſtitutum Societatis eſſe Reipublicæ liberę aduerſum. Argumentum tuum his verbis formatum eſt: *Finem peculiarem ratione Inſtituti ſui, præ aliis Monachorum Ordinibus hunc ſibi præfixum Ieſuitæ habent; vt non ſolùm collapſam authoritatem Eccleſiæ: in quo ſtudio reliquos Clericos commilitones habent, recuperent; ſed vt ſubiectum præcipuè Europæ orbem, ita corrigant & reforment; vt huiuſmodi inſultus, quos imperium hactenus eſt perpeſſum, in longum præcaueant, & occaſiones omnes, per quas populi eam oppugnant & excutiunt, remoueant & auferant. Et in his ipſis rebus ſpecifica differentia Ieſuitiſmi, per quam à reliquo Clero diſcernitur conſiſtit. Ergo Inſtitutum Ieſuiticum eſt liberæ Reipublicæ valde inimicum & aduerſum; libertati verò Polonæ inprimis formidandum.* Quid eſt nugari, ſi hoc eſt argumentari? Quis enim tibi dederit, finem Patrum Societatis Iesv, illum eſſe quem tu aſſeris? Equidem malo illum ex legibus eorum, quàm ex te diſcere. Audi ergo ſi placet, quid de hac re ha-

beant in suis Constitutionibus. Finis huius Societatis est, non solùm saluti & perfectioni animarum propriarum cum diuina gratia vacare, sed cum eadem impense in salutem & perfectionem proximorum incumbere. Et hic finis sermonis esto de fine illorũ. Nec alterius finis hîc vel alibi vsquam, vlla mentio apud illos.

Apage igitur cum tuis illis de fine illorum mendaciis. Sed quamuis esset ille finis Iesuitarum, quem tu asseris, & illi omnes suos conatus eò dirigerent; vt imperij Ecclesiastici sartam tectãque conseruent dignitatem, vtq; Imperio illius vniuersum orbis complexum subiiciant; non armorum, sed doctrinæ & pietatis potentia: num iccirco criminis obnoxij essent, & liberæ Reipublicæ inimici & aduersi? ita stultus es, vt dum eos in odiũ inducere contendis, maximam vel exinde concilies illis commendationem. Imperium enim Ecclesiasticum in libertatem ei debitam, à populis qui illud impugnant vindicare, nonnisi summæ laudis materia est; iis presertim, qui totos se Ecclesiæ Christi promouendæ dedidêre. Sed vt video, magnum est crimen apud te, quòd Ecclesia Romana suam retineat authoritatem. Vnde illud Iudæ ingeminas; vt quid perditio hæc? Nihil tamen facis bone vir, rumpantur licet ilia Codro. Illa enim stat & stabit; quippe de qua prædictũ est à Christo, fore, vt quamuis oppugnetur assiduè; portæ tamen inferorum aduersus eam præualere non possint.

Addis post hæc mendacium mendacio. *Iesuitis, remotio & annihilatio libertatis, quæ est in Regnis Septemtrionalibus, & legum* (quarum nomine tu intelligis stultissimè Confœderationem) *quibus inquisitionis Hispanicæ*, quasi non esset inquisitio Romana, *intentatum iugum constanter repellitur, iuncta est per quartum illud, & secta huic proprium votum extra ordinem.* Planè extra ordinem loqueris; id est, sicut ad solem noctua, ita in veritatis luce caligas. Quis enim Pontificum tale illis votum iniunxit, & maximè in hunc finem? Non est mos Ecclesiæ, nec Dei, homo rerum diuinarum imperitissime, iniungere aliis, vt vota faciant; quæ spontanea debent esse. Vnde ergo tu ista habes? Certè Patres nihil de hac re sciunt. in ipso etiam quarto voto quod numeras, nulla huius rei mentio est; cùm tamen esse debuisset, si in hunc finem illo voto, Societas se summis Pontificibus obstringeret. Verba quibus hoc votum conti-

netur, & quæ inter professionem post tria Religionis vota, pronunciari solent, hæc sunt: Insuper promitto specialem Obedientiam summo Pontifici circa missiones. Sed tu hæc dixisti; vt libidinem tuam illos calumniandi, & in odium apud homines adducendi expleres. Quamuis non mirum. Nam Arnaldus quoq; à quo pleraq; furatus es, votum hoc sugillauit; inde probans, omnes Iesuitas Hispanos esse. Vter vestrum mentitur? Franciscus à Montibus in Apologia c 24. ostendit illum mentiri; ego verò hîc te. Fatere verum & conuictus, dic, vterq;. Addo, hoc voto Societatem Patrum, priùs se summis Pontificibus obstrinxisse, quàm Confœderatio tua nata fuisset.

Probas deinde, incepisse iam Patres in Polonia remouere & annihilare libertatem & confœderationem; per quæ duo populi Regnorum Septemtrionalium maximè oppugnant & excutiunt Imperium Romanæ Ecclesiæ. Verba tua sunt: *Fecerunt inter nos iam hoc conspicuum exordium Iesuitæ: distinguunt enim eos qui Romanæ Ecclesiæ instituta sequuntur, in genuinos Catholicos, & politicos.* Sed quæ hæc probatio? Estne hoc libertatem Polonam & Confœderationem abrogare; vel vt tu loqueris annihilare? Et si libertas Polona & Confœderatio (vt ipse arroganter, stultè, & improbè fateris) oppugnant veram Ecclesiam & sponsam Christi hominis & Dei, & Imperium eius excutiunt; quomodo malum est & peccatum, quòd Iesuitæ, quia veri sunt filij & operarij huius Ecclesiæ, vtramq; illarum remoueant & annihilent: nisi pari ratione velis, eos etiam peccare; qui peccata quibus Deus oppugnatur, remouent. Deniq; quid vitij est in illa distinctione, maláne & digna censura? quis prudens vnquam eam improbauit; nisi de rebus malè iudicans, vt tu soles. Sed ais: *Veri Catholici illis, non qui Catholicè credunt & viuunt; sed qui ipsorum factioni, ita toti addicti sunt, vt omnes illorum mollitiones probent serioq; promoueant: pro politicis verò & pseudocatholicis eos habent, qui etsi in fide & vita, Ecclesiæ Romanæ, se per omnia conforment: illorum tamen factiosâ consilia & porfidos conatus detestantur.* Quem vnquam Iesuitarum ita sensisse, vel tu ipse audiuisti, vel in libris illorum legisti, profer. Mihi certè non difficile esset, ad arguendum te putidi mendacij, proferre ex scriptis Patrum Societatis, quos pro veris Catholicis illi habeant; eos duntaxat

 solos,

ſolos, qui Catholicè credunt & viuunt: (quos verò politicos eſſe cenſeant, iam ſupra oſtendi) ſed quia hoc eſt tale, vt non indigeat probatione, ſuperſedeo. Hoc vnum tamen ex te interrogo: vtrum exiſtimes Ieſuitas, Regem noſtrum Sereniſſimum, & Antiſtites omnes huius Regni, pro veris Catholicis habere: affirmabis ſine dubio, negare enim, ſi malitia abfuerit, non poteris; & ne pro mendaci, vel impudente habeare, non audebis. Igitur Regem noſtrum Sereniſſimum, & Antiſtites omnes huius Regni, factioni Ieſuitarum, ita totos addictos eſſe; vt omnes illorum molitiones probent, ſerioq; promoueant, concedis: nonniſi enim tales per ſe à Ieſuitis pro veris Catholicis haberi ais: ſi concedere times, mendacem te in illa definitione veri Catholici, ex ſententia Ieſuitarum ipſe vltrò fateris: ſi audes, ſceleratiſſimi & nebulonis nomen non effugis.

CAPVT XII.

Reſellitur exemplum Venetiis ab Acephalo allatum.

NE gratis aſſeruiſſe videaris, differentiam ſpecificam Ieſuitiſmi, per quam à reliquo Clero diſcernitur, eſſe illam quã capite præcedenti examinaui, fidem adſtruis exemplo. *Negare, inquis, hoc conſtanter Ieſuitæ conſueuerunt; viuo igitur exemplo erit demõſtrandum. Inter Venetos & Pontificem hoc maximè tempore controuerſia interceſſit, ſuper Conſtitutionibus quibuſdam; quarum renouandarum, occaſionem Magiſtratui Veneto præbuerunt Ieſuitarum artes teſtamentariæ. Pontifex autem in fraudem Eccleſiæ factas conqueritur; Veneti hoc nomine à Pontifice compellati, cùm intelligerent iura maieſtatis Reipublicæ in eo periclitari, eidem cedere noluerunt, ſed palam potiùs præſetulerunt; ſibi in ſua ditione, ſupremam iuriſdictionem, & ſic etiam legum ferendarum, poteſtatem, non autem Pontifici competere. Quo animaduerſo Pontifex excommunicationis fulmine eos territauit. Senatus hoc cognito, Clerum ſuum compellauit, ius Reipublicæ eidem expoſuit, Pontificis, Pontificiæq; excommunicationis iniquitatem demonſtrauit, eoſdem pro authoritate exhortatus eſt, vt curato officio, excommunicationem pro nulla habeant. Quid fit? antiquus Clerus vnanimi conſenſu, Reipublicæ cauſam contra Pontificem probat, & de fide ſua prolixè pollicetur. Recentiores verò Religioſi; quorum nempe Regulæ præſentis temporis con-*

poris conditioni, accommodatæ sunt, Ducibus Iesuitis, Reipublicæ causam damnant, stationemq́ suam deserunt. Circa hoc exemplum ista assero. Primùm te aliqua in eo, pro tua grauitate & constantia in asserẽdis rebus dixisse; non enim tam quid sit in re consyderare soles, quàm quid proposito tuo maximè deseruiat: vnde si affirmare aliquid in odium Iesuitarum vtile esse vides; quamuis ita non sit, confidenter affirmas: si rursus illud ipsum negare, rei conducere putas, audacter negas, & verum de Patribus, non libenter loqueris. Tale est illud quod dicis; negare hoc constanter consueuisse Iesuitas. Falsum enim est, non quod affirment vel negent; sed quod à nullo hactenus hoc (præter te, acutissimum scilicet hominem) illis obiectũ fuerit. Alterũ, quomodo illud exẽplum viuum etiamsi verissimum esset, probat illam esse differentiam specificam Iesuitarum; qua à reliquo Clero discernuntur: estne causam Reipublicæ malam (quandoquidẽ illa noluit summo in terris Christi Vicario, quem pro tali agnoscit, iustè imperanti, obedire) damnare, & stationem suam metu excommunicationis, quæ iustè à Catholico timeri debet, (quæ duo tantùm in illo tuo exemplo viuo de illis asseruisti) deserere, Europæ orbem ita corrigere & reformare; vt huiusmodi insultus, quos Ecclesia Romana hactenus est perpessa, in longum præcaueantur: quod tu probandum illo exemplo volueras. Et quod plus est, euidenter illo probatum esse gloriaris. Verba tua sunt post recitatum à te exemplum viuum: *Quod ipsum sanè exemplum discrimen illud; quod inter Iesuitas, & quoscunq́ alios Clericos constituimus, euidenter probat & confirmat.* Hoccine ergo est probare, & non potiùs delirare; iudicet etiam mediocris prudentiæ homo. Pudet me certè, vt verũ fatear, te tam crassum asinum impugnare, & calamũ meum, in has tuas sordes, quibus chartam infecisti, stringere. En habes quàm verè & rectè dixerim capite secundo; te authorẽ huius infamis consilij rationem defecisse. Age verò, si recentiores quoque Religiosi, causam Reipublicæ damnarunt stationemq; suam deseruerunt, vt tu asseris, & verum est: igitur etiam illorum finis & differentia specifica est, Europæ orbem ita corrigere, & reformare; vt huiusmodi insultus, quos Ecclesia Romana hactenus est perpessa, in longum præcaueantur: ac proinde iam hoc

 non po-

non poteſt eſſe, differentia ſpecifica Ieſuitiſmi, per quam à reliquo Clero diſcernatur vt tu vis; quandoquidem aliis etiam Religioſis qui non ſunt Ieſuitæ, te etiam affirmante, conuenit. Vides quàm pugnantia loqueris. Tertium quod aſſero eſt, contineri in tuo exemplo viuo, apertiſſima tria mendacia; vt quaſi in ore trium ſtet contra te perfectum teſtimonium veritatis. Primum eſt, Venetis Ieſuitarum artes teſtamentarias, Conſtitutionis cuiuſdam renouandæ occaſionem præbuiſſe. Ne verò gratis tibi dicere videar, vt tu ſoles, argumentum huius rei inter alia euidens, hoc tibi adfero; ſcripta ſeu libellos, qui de tota hac cauſa, ex vtraq; parte editi ſunt, toto hoc tempore, ab Illuſtriſſimis ſcilicet Cardinalibus, Baronio, Bellarmino, & Caraffa, &c. & à ſeptem Theologis Sereniſſ: Reipublicæ Venetæ in cauſa eiuſdẽ; in quibus ne iota quidẽ eſt de Ieſuitis, quòd illi authores fuerint illius Conſtitutionis. Accedit, quòd non ſola illa Conſtitutio, occaſio fuerit excommunicationis latæ; ſed & aliquid aliud, maioris præiudicij Eccleſiæ Catholicæ: quod tibi, vt exiſtimo, non eſt ignotum; ſed à te, quia in odium Ieſuitarũ non ſeruit, omiſſum. Omittendum quoq; & à me, alia meliori de cauſa.

Non ſemel autem Ieſuitis pſeudominiſtri hæreticorum, maiores tui, obiecerunt haſce artes teſtamentarias; ſed ita Franciſci Montani, & aliorum propugnatione conuicti ſunt, vt contra eam, nuſquam poſtea hiſcere auſi fuerint. Non inhiant Patres ô μισόφιλε bonis alienis: quandoquidem propria & hæreditaria, quæ iure optimo, & ſine vlla difficultate ſecum importare poſſent, ſponte relinquunt. Recenſerem tibi huius rei, etiam in Patria noſtra, plura exempla clariſſima; niſi pudor ipſorum & aliorum vetaret: nota tamen ſunt hæc aliis. neq; enim ij ſunt, quorũ ſtatus generis ignoretur. Alterum mendacium eſt; Venetos dixiſſe, ſibi in ſua ditione ſupremam iuriſdictionem & legum ferendarum poteſtatem, non autem Pontifici competere. No ſunt illi tam impudentes, vt tantùm ſibi arrogent. Norunt benè, ſibi non licere leges tales condere; quæ præiudicium aliquod faciant Deo & Eccleſiæ ipſius: ac proinde, neq; hoc modo, vt tu aſſeris, Pontifici compellanti reſponderunt; ſed legem ſtatutam à ſe, nequaquã derogare iuri, & priuilegiis Eccleſiæ. Lege quæ

de hac

de hac re scripserunt Illustriss: Cardinales &c vel quæ septem Theologi Reipublicæ Venetæ, &c. Tertium mendacium, crassius præcedentibus est: *Omnem antiquum Clerum, præter recentiores Religiosos, vnanimi consensu Reipublicæ causam, contra Pontificem probasse, & de fide sua prolixè pollicitum esse.* Omnes enim Religiosi S. Benedicti, tam illi qui in celeberrimo illo & magnificè extructo Monasterio S. Georgij Venetiis, quàm qui Patauij apud S. Iustinam habitant, minimè causam hanc probarunt, & parati erant stationem suam deserere, si ita summo Pontifici, quem etiam per litteras hac de re cōsuluerunt, visum fuisset. Plura etiam dicere possem, sed euulganda sine causa non sunt; neq; ad tui mendacij refutationem necessaria. Satis est, rem ita se habuisse ipsi interrogati non negabunt: & nisi ita esset, nunquam crede mihi eam tam affirmanter, in recenti adhuc huius rei memoria, & maximè contra mentem scriberem, & mendacium tuum proprio mendacio confutare auderem. Addo, multos ex Religiosis non recētioribus, (vt tu loqueris) alterius Ordinis, ab eo cuius mentionē feci, tactos stimulis conscientiæ propter causam contra summū Pontificem probatam, & propter interdicti obseruantiam, mutato habitu, fuga salutem quæsiisse.

CAPVT XIII.

Iesuitæ ipsi sponte Venetiis discesserunt.

POst recensitum exemplum, ita viuum, vt truncum putridum buxi; addidisti, nescio vtrum ex tuo vel ex alieno: *Quamuis Iesuitæ non ipsi discessisse, sed publico Magistratus edicto nominatim & in æternum relegati esse perhibeantur.* Quo authore istud perhibetur? mendace. Honorificū tibi videbatur, dictum de Iesuitis, quod sponte ex tota ditione Venetorum relictis omnibus quæ habebant, ne Deum offenderent, (quod fecissent, si iusto Imperio legitimi Superioris non obediuissent) excesserint: ideoq; addidisti eos publico Magistratus edicto relegatos fuisse. Aliter se rem habuisse vel hinc cognosce. Duobus enim diebus, antequam Patres discederent Venetiis, P. Bernardinus Castorius, domus Venetæ Præpositus, clarè in Senatu protestatus est; Patres Societatis seruiisse

uiisse Reipublicæ, & velle seruire ad aras: quantùm scilicet salua conscientia possent: & cùm in præsenti negocio non possent; se rogare, vt cum eorum bona licentia, sibi cum sociis excedere liceret. Responsum ei est à Senatu & Principe: si permanere voluerint, & Reipublicæ in præsenti negocio obedire, eos gratissimos vt hactenus & acceptissimos fore. imò vnus ex Senatoribus, videns eum animum Patrum Societatis, dixit: Nos benè sciebamus, vos primos fore actores in hac Tragœdia, non obediendo scilicet Senatui; ne causam summi Pontificis damnare, & excõmunicationem eius nihili facere, videremini. Vides Iesuitas nõ fuisse Magistratus Veneti edicto expulsos. Nota illud, quod Senatus Venetus & Princeps publicè dixerint; Iesuitas sibi hacten⁹ gratissimos & acceptissimos fuisse. Vides vt isti viri prudentissimi, & in Republica sua conseruanda diligentissimi præ omnibus, diuersa omnia à te sentiant de illorum instituto; neq; illud Reipublicæ suæ liberæ aduersari, vel in mentem illis venerit. Tu ista solus aduertisti, homo scilicet oculatior Lynceo, auritior Myda, vel Sileni asello; sagaciore deniq; naso, quàm Plauti illa anus meribibula. Ex hoc verò ruit illud mendacium; occasionem illis fuisse faciendi Constitutionem, artes testamentarias Iesuitarum, &c. Misit etiam Senatus ad Patres cùm discedere vellent, qui illis nomine suo hoc diceret: Videte Patres, quid hoc vestro discessu damni vobis faciatis; fore enim vt etiamsi postea redire volueritis, non poteritis: sed potior habenda fuit ratio salutis, quàm proprij commodi alicuius. Multi etiam quamuis aduersarij patrum, Venetiis discessum illorum lachrymis prosecuti sunt. Legatus etiam Venetus, non ita pridem summo Pontifici interroganti, respondit: Patres non admitti à Venetis, propter factã discessionem ab eis. Et Rex Christianissimus sæpiùs postulauit à Senatu Veneto, & tandem per Illustriss: Cardinalem Gioiosam, vt sibi ostenderet, quid contra Patres haberet: sed nullum aliud responsum accepit, quàm quod summus Pontifex à Legato, &c. Audi quid de Patribus in Senatu Veneto Illustrissimus ille Cardinalis dixerit: Nunquam tãtum malum de Patribus Societatis, à quibuscunq; aliis detractoribus dici posse; quin multò maiora, de iisdem Patribus ad Christianissimum Regem Galliæ, non

fuissent

fuissent delata: qui tamen cognita veritate, illos in conspectu totius mundi, & adamauit, & ita complexus est; vt licet satis id iam declarauerit, declarat tamen quacunq; data occasione.

Concludis rem totam de fine Instituti Societatis, adferendo causam, cur Venetiis discesserint. *Non ob aliam*, inquis, *causam, hoc illi fecerunt; quàm quòd viderent se stante, & defensa Reipublicæ Venetæ libertate, stantibusq; legibus, nec stare, nec Instituti sui finem obtinere posse.* Nolo hîc digredi vt possem, neq; ostendere quàm tecum ipse pugnes; hoc solùm dico, neminem quid quispiam cogitet diuinare posse: quod tu cùm facias, & de alienis cogitationibus tam audacter pronuncies, temerarius; ne dicã impudẽs sis, necesse est.

CAPVT XIV.

Examen tertiæ probationis.

ACcedis ad media seu operationes (quod tertium erat tibi propositum, ad ostendendum abundantiùs, Institutum Patrum esse Reipublicæ inimicum) quas ad finem Instituti Societatis, à te confictum, consequendum, Patres eiusdem Societatis assumere soleant. Sed nihilo verior in his narrator es quàm probator. Ais enim *hoc Patres conuincta opera, feruidissimè agere, vt primũ Reges Europæos, vni cuidam fœderi illigent; cuius fœderis Principem & directorem constituunt Hispaniarum Regem, aurei velleris possessorem & custodem, ad cuius videlicet nutum, reliquia se applicare cogantur: sub hac conditione, vt qui conatibus eius quacunq; ratione intercedit,* (verba tua sunt) *aut quàm minimũ aduersetur, de hæresi suspectus sit, & prædicti velleris periscelide indignus censeatur.* O caput sine capite; vbi erat ratio, cùm talia cogitabas? quæ, non sani esse hominis non sanus iuret Orestes. Etsi hæc non sunt fabulæ aniles, quid tandem erit? Certè si tibi cum pueris aut vetulis res esset, nescio vtrum inscitiùs fuisses nugatus. Quòd nugeris, luce clariùs sic ostendo. Dixeras finem Instituti Societatis esse, Europæ orbem ita corrigere, & reformare; vt Romanæ Ecclesiæ insultus quos hactenus perpessa est, nõ patiatur: quod quia Iesuitæ sine mediis vel operationibus assequi non possunt, asseris te velle explicare talia media, quæ ab illis assumi solent. Ex quibus præcipuum ais, esse, Reges Europæos vni

pæos vni cuidam fœderi illigare; cuius fœderis Principem & directorem constituunt Hispaniarum Regem, aurei istius velleris possessorem & custodem. Sed fac ita se rem habere. Estné hoc Europæ orbem ita corrigere vt dixisti; & non potiùs Imperium Hispanicum stabilire, & eidem ac Regibus Hispaniæ Imperium Ecclesiasticum, & Romanam Ecclesiam, ipsosq; summos Pontifices subiicere; quibus contraria prorsus de Iesuitis supra & infra docuisti. An Romana etiam Ecclesia, & Imperium ipsius, non est aliquando perpessum eos insultus, quos tu intelligis, à populis Hispaniæ? si ergo te authore, finis Instituti Societatis est, Ecclesiam Romanam ab insultibus liberare; medium siue operatio, qua id assequuntur, erit Reges Europæ vni cuidam fœderi illigare, cuius fœderis Princeps sit summus Pontifex nō Hispanus. An iam propterea occasiones auferuntur ab illis, ne populi oppugnent, & excutiant Imperium Ecclesiasticum; eò quòd, Regem Hispaniarū constituant aurei velleris possessorem & custodem? Vides quod nugeris, & tibi ipse clarè contradicas. Addo, deploratæ impudentiæ esse, ea Regi Hispaniæ, & Patribus Societatis affingere, quæ nec per somnium vnquam in mentem illis venerunt. Vnde enim habes, hoc fine Regem Hispaniarum aureum vellus solere mittere aliquando Regibus? Vnde hoc à Patribus agi, & eorum opera fieri? dicito cur hoc fœdere Patres Societatis; si tantum possunt apud Reges Hispaniæ, vt tu plenis buccis affirmas, non illigarunt Poloniæ Regem æterna memoria dignum, & Patrum Instituti amantissimum Stephanum Bathoreū? Nolebant dicere debes; (aliud enim dicere non potes) nec conati sunt finem Instituti consequi. Ergo non coniunctâ opera feruidissimè, & primum agunt, vt Reges Europæos huic fœderi, aurei velleris illigent. At qui tu hoc dicis, & primum illud dicis; ac proinde tibi ipsi contradicis. Certè si hæc de fœdere vera sunt, multum Patribus præ aliis Reges Hispaniæ, quos scilicet tanto dignantur honore, deberent; & si tantum amorem & liberalitatem aliorum Regum (quod tibi dolori est maximo) experiuntur; multò magis illorum, qui etiam hac in parte, nullo modo se ab aliis, superari patiuntur. Sed ego nihil tale video; quin vident & alij, qui res Patrum syncero oculo intuentur.

Quàm

Quàm verò (vt cætera omittam) stultum est illud, & risu excipiendum; vt pote quod nō nisi ex insano capite (iudicio cuiusq; prudentis) prodiit. Reges vel quosuis alios, qui conatibus Regis Hispaniæ quàm minimùm aduersentur, de hæresi apud illū suspectos esse. Nunquam certè Philippus II. Rex Hispaniæ, Ducem Florentiæ nuper mortuum, (vt alios omittam) qui fœdere aurei velleris illigatus ei erat, de hæresi suspectum habuit; cùm tamen ille, non semel ei aduersatus fuerit. Est quod te hîc accusem: cur si ita se rem habere certo tibi constabat, si in perniciem vel dedecus Patriæ, manifestè fieri videbas, Serenissimum Regē nostrum Sigismundum III. hoc fœdere velleris aurei ante aliquot annos, à Legato Regis Hispaniarum, publicè & in Comitiis Regni illigari, non præmonueris, Regem nostrum, Senatū, & Equestris Ordinis homines: vt vel isto fœdere aurei velleris se non illigaret; vel postquam illigauit, vt ab illo se se quamprimum explicaret, quandoquidem certò certius Regi Hispaniæ de hæresi (quæ maxima est nota) suspectus erit; cùm aliquibus conatibus eius nō possit non aduersari. Cæterum, quod periscelidem somnias, non miror; cùm tua sapientia in cruribus & vicinis partibus, magis quàm in capite sita sit.

CAPVT XV.

Calumnia de Aulis Regum & Principum, ac de modo agendi in illis Patrum Societatis.

QVia, inquis, *alia est ratio Regnorum Septemtrionalium: quandoquidem illa non ad absolutum Regum arbitrium reguntur, sed ad præscriptum legum; ideò parum prodest Iesuitis Regias personas in illis Regnis fœdere velleris aurei illigare, nisi etiam ipsa Regna subiecta in eanaem vnionis nassam concludant: quod & faciunt. Et quanquam infinitæ illis difficultates obiiciantur (in quo opera illorum præcipua enitet) tamen perficiunt. Sic autem rem totam disponunt seu consequuntur. Primum sedulò curant, vt in aulis* (debebas dicere in aulas) *se insinuent, &c.* Hæc tu, & alia plura: ad quæ omnia aio ego; te in probando, insipientia ordinaria, & calumniis hîc quoq; laborare. Primum collige à simili ex præcedenti capite: nam hîc quoq; locum habet illa tuæ nuga-

tionis demonſtratio. Adde & hoc aliud. Eſtné illa duo facere: vt tu à Patribus fieri aſſeris; Regna in aurei velleris vnionem includere: quod tibi propoſitum erat oſtendere: & hæc inſipientiam tuam produnt. Alterum verò ſic breuiter, clarè, & veraciter oſtendo. Calumnia eſt, Ieſuitas hoc ſedulò primum curare, vt in aulas ſe inſinuent; neq; Ieſuita peregrinus ſibi & exul vel capite diminutus videtur, cùm ab aula arcetur: ſed tu cùm hoc ſcribebas capite diminutus; non quidem videbaris, quia in latibulis ſcripſiſti, ſed re ipſa eras. Nunquam Patres aulas Principum vel Regum ambiunt (quod in plurimis ſaltem illorum, qui in Patria noſtra, aut ex non poſtrema nobilitate, aut Magnatum & Senatorum Regni, vel filij ſunt, vel fratres, vel conſanguinei: ſi non es Thireſia cœcior videre potes) qua enim fronte; niſi perfricta meretricis hoc de illis dicere audes. Si enim in aulis Regum verſari voluiſſent, ſine veſte Ieſuitarum, more maiorum ſuorum iſtud feciſſent; qui & Regibus Poloniæ Dominis ſuis ſeruierunt, & dignitates non poſtremas laboris ſui, virtutis & fidelitatis præmia in hac noſtra Republica obtinuerunt. Tibi fortè homini ex ſtercore erecto, magnum quid videtur in aulis Regũ eſſe, non illis. Sed circa hoc idem conuincet te calumniæ, ipſe noſter Sereniſſimus modernus Poloniæ Rex, & Dominus noſter Sigiſmundus III. à quo non ſemel obnixè petiit P. Petrus Scarga, homo è Societate, qui in aula eiuſdem Eccleſiaſtem agit; vt ſibi bona cũ venia ſuæ Regiæ Maieſtatis, ad vitam traducendã pacatiorem liceret ad aliquod domiciliũ Societatis redire: ſed nõ obtinuit. Habes hoc poſtulatum ipſius etiam typis ante annos ſeptem vel octò expreſſum in epiſtola dedicatoria Annalium eidẽ Regiæ Maieſtati. Huc pertinet illud quoq; quod idem Pater in Concione ſeu Reſponſione contra articulum Sendomirienſem, Anno 1606. ſcripſit & dixit: in qua etiam clarè Rege & Senatu audiente, oſtendit, Patres in aula Regia, rebus ad rem publicam, ſeu vt vocant, ad ſtatum pertinentibus, non ſe immiſcere: niſi tu & hîc more tuo (vt cùm factum ipſum calumniari non potes; intentionem, vel aliquid aliud, calumniandi) fictè vel aſtutè illum hoc feciſſe aſſeueres. Non diſſimilis huic calumniæ eſt iſta; cùm Ieſuitas ſedulò in aulis curare narras, vt ſcilicet clauum Rei-

publicæ

publicæ in suam potestatem redigant; id est, vt Regi vel Reginæ ex suo corpore Confessarium dent. Estné hoc clauum Reipublicæ in suam potestatem redigere, Regi vel Reginæ ex suo corpore Confessarium dare? Quis sobrius & prudens ita hoc aliquando intellexit? Profectò secundum hanc stultam tuam ratiocinationem, Reges cæteriq; Principes ab obligatione Confessionis liberi esse deberent, ne clauum Reipublicæ Confessario in potestatem tradere cogantur. Scimus Patres Ordinis S. Dominici, semper ex suo corpore Confessarios Regibus Hispaniæ dare; nũquam tamen vel ipsi intellexerunt, vel quiuis alius dixit, eos clauum Reipublicæ Hispaniæ in suam potestatem redigisse. Et nũc mortuo Confessario Vilnæ, Serenissimæ Reginæ nostræ, & ipsiusmet Regis ad Smolenscum, clauum perdidisse Reipublicæ Iesuitas asseres? Verendum, ne tu ad hunc clauum tenendum aduoceris. Sed tu meliùs dolium custodire, quàm clauum nosti; ex cuius nimia custodia in delirium incidisti.

Cæterum responde acutissime homo, cur si in tantis deliciis, vt tu ais, sunt Iesuitæ apud Reges Hispaniæ; si tantùm omnes ad vnum solicitè pro conseruanda eorum dignitate & Republica, imò & pro promouenda, ac propaganda laborant; nondũ hunc clauum Reipublicæ in Hispania adepti sunt, vt scilicet Regi Hispaniæ, vel filio ipsius Confessarium vel Præceptorem ex corpore suo assignent. Miror quamdiu de isto dolio mendacia bibes, & deuomes haustas fæces calumniarum. Pergis: *Ad hæc verò felicius perficienda Romana aula, quidquid authoritate, quidquid opibus, quidquid artibus & consilio valet & potest, Iesuitis liberalissimè indulget; ipsorumq; commendationes ad consequendas dignitates & præbendas plus valent, quàm potentissimorum Regum intercessiones.* Qui sciunt quid Romæ agatur, te vt turpissimum nugatorem, & impostorem rident: magis verò riderent, & tibi grauissimè indignarentur illi, qui Romam incolunt; si ad eorum manus tuæ chartæ infames peruenirent. Cur quæso, si tantùm in Romana aula & valent & possunt, sibiipsis, vel ad dissoluenda debita, hîc in Polonia & alibi, (quæ quia sufficientem fundationem in Collegiis non habent, contrahere coguntur) vel ad noua Collegia extruenda, vtiles esse nequeunt. Hæc verò calumnia euersa, in ruinã hanc alteram, vtpote

 in priore

in priore fundatam, trahit, à Iesuitis omnes aulas Europæ fauoribus & promotione apud Pontifices corrumpi. De illa occulta vi seu qualitate, quam habere à natura Iesuitas ad dominandum & imperandum aulicis dicis, dignum est, vt cum Philosophis conferas. Scilicet à natura suas habent proprietates Iesuitæ, quasi nō ex electione fiant, sed veluti pyra ex eadem arbore, ita ipsi in suo instituto nascantur. O tandem nostrum heluonem Philosophū insignem: Vnde tibi tam perspicax ingenium, vt tam occultam qualitatem notaueris? Sanè gratias tibi agent Patres, quòd qualitatem hanc patefeceris. Pro tuo etiam cerebro, quænam sit doce: quanquam iam ostendisti non occultam, sed apertam qualitatem ad mentiendum, calumniandum, obloquendum. hanc autem inclusam habes in dolio, quod tibi puto Lutherus aut Caluinus testamento reliquerunt. Post occultas qualitates, fecisti verbo mentionem occultiorum, factionis Iesuitarum, in politiarum officinis, artium: re ipsa tamen nihil egisti; imò te illas sponte omittere dixisti. Cur ita? suspecta mihi est tua tam repentina modestia erga Patres, & benignitas ac misericordia: sentio ergò te, quia Patres calumniari non poteras, iactare tantum & simulare quod parcas. De pacto, quod Patres in aulis facere narras, vt aduersariis ipsorum refugium non pateat, & illorum querelæ vel non admittantur, vel admissæ negligantur, & quoquo modo eludantur. Quæro ex te, cum quibus illud faciunt? cum ipsané Regia Maiestate, an cum iis penes quos est potestas ad conspectum illius admittendi alios, vel reiiciendi? Non cum primo: nam saltem ita impudens non eris, vt Serenissimo nostro hanc calumniam imponere velis: imò neq; possis. Vnde enim tibi de hoc pacto inter ipsum & Patres constaret? ex Iesuitarum, an ipsius Regis confessione? quorum alterutrum asserere nihil esset, nisi impudenter mentiri. Non cum secundis etiam: profer enim ex illis talem aliquem: & quis nisi peregrinus vel mendax dicere potest; difficilem esse in patria nostra, vnicuiq; ad Reges nostros accessum. Audi ergo encomium tuum. Nulla in te, vt aliâs semper, synceritas: nullus pudor, nullusq; amor veri inest. Hinc verò id quod intulisti, non dissimili ratione cōfutatur. Non enim oppressio & suffocatio: (quandoquidem nulla fuit,)

quam

quam à Societate passi sunt aduersarij illius; quos præter hæreticos & pessimos homines nullos habet) fuit causa & origo febrilis æstus, quo Patria nostra non ita pridem laborabat & ardebat, ac motuum turbulentissimorum, qui in ea excitati erant. Et nullus bonus vel prudens harum rerum causam in Patres hactenus contulit; sed vel maleuolus, vel hæreticus, vel vno verbo mendax. Sciunt prudentes, & re ipsa iam luce clariùs patuit, quis causa fuerit huius pessimæ tempestatis. Sed memor Amnistiæ, quam in Comitiis Regni anno præsente celebratis, Clementissimus & Inuictissimus Rex noster, Senatu & Nunciis Equestris Ordinis, ita ab eo postulantibus, authoribus huius tempestatis concessit, plura dicere non possum.

Circa venationem quam Patres firmato nido in aulis exercere narras, hæc habeo. Primum te sine causa, imò & sine conscientia, appellare Patres vultures: quod ideo fecisti, quia faciliùs tibi erat dicere conuicia, quàm facere argumenta, quibus probares Patres hanc venationem exercere. Quot tendiculæ vel potiùs quot claustra & repagula essent ponenda ad occludẽdum os tuum maledicum. Alterum te lapsum esse grauiter, cùm vt probes Patres in primariis Vrbibus Regni Collegia vel templa sua ad ipsa mœnia Vrbiũ construere, dicis; *vt in arcibus quas Cracouiæ, Vilnæ, Calißij, & Posnaniæ habent, videre licet.* Nullũ enim Patres Vilnæ Collegium, templum, vel Seminarium, vel ad mænia vrbis, vel quod complectatur illa habent. Hem quomodo te libido criminandi obcœcauit, & quis prudens pro fideli vel veraci te habere poterit, cùm narras incolis huius Regni aliqua de Patribus, quæ in aliis Regnis remotis faciunt; quandoquidem in narrandis illis, quæ in Patria nostra, & in oculis omnium ab illis fiunt, tam mendax es, vel tam facilis ad credendum contra illos, mendaciis. Nemo tamen miretur, quòd tam sæpe mentiaris. Hoc enim ex Cachexia corporis tui necessariò oritur; id est', ex malo habitu, & inueterato mentiendi. Vnde & tu Cachecticus es. Intelligis me credo: tua enim ista sunt verba, & tu in chartis tuis medicum egisti. Tertium aio, te conuiciatorem tantùm agere in assignanda causa, cur Collegia sua ad mœnia Vrbium construant. Cur eã ab illis ipsis non postulasti? Hem quid tu de illis non effutiuisses;

si Colle-

si Collegia sua, vt Patres Bernardini solent facere, extra mœnia construxissent. Quartū te contradicere tibi ipsi ostendo. Asseueras ante, institutum tuum & occupationem esse, aperire & describere praxim Iesuiticam: hîc rursum negas. Dicis enim, vnam ex praxibus Iesuitarum esse, mulierculas circumuenire: quod quia probandum esset, non verbis sed argumentis; quæ tibi, vt nocti lumen Solis defuissent, subiunxisti: latissima mihi sermonis valua. Planè conuiciari tantoperè contra Patres, & mentiri non potuisses; nisi valuas in ore habuisses. *se aperiret; si aucupia illorum, quibus illi, mulierculas præsertim circumueniunt, explicare vellem: sed instituti & occupationum mearum ratio mihi habenda est.* En contra rationem instituti tui esse dicis, praxim Iesuiticam, vel ea quæ ad illam pertinent explicare. Quomodo hîc tibi constas? Quintum de ærariis Patrum in pluribus locis; in quibus eos magnam pecuniæ summam collectam depositam & custoditam ad factiones alendas habere asseris; non aliud dico, quàm hoc esse illud, quod ad cumulum mendaciorum tuorum hactenus deerat. Scio multos homines rerum Societatis & rei Oeconomicæ peritissimos, idem planè in hoc negocio, cùm tua scripta de ærariis legent, de te dicturos, quod olim Hannibal de Phormione dixit. Multos se deliros senes sæpe vidisse; sed qui magis quàm Phormio deliraret neminem. Illis ergo te cōfutandi & ridendi hanc curam relinquo. Possent tamen Patres ex suo ærario restes, pro tua gula frangenda comparare; vt hunc inimicum spiritum & mendacem efflares.

CAPVT XVI.

Diluitur obiectio quædam Acephali.

TAndem accedis ad argumenta, & rationibus si Diis placet, vrges. Iesuitas se insinuare in aulas Regum, & negocia politica tractare. *Negant hoc,* inquis, *Iesuitæ, & quidem acerrimè. sed contra argumento est. Primum, quòd ab aula remotionem suam; quam plerique hoc potissimum tempore suadent, nimis ægrè ferunt: nam eam inter septem supplicia numerant. Secundum, expertus sum ipse, cùm adhuc in aula versarer: audiui enim primarium Iesuitam, cuidam Legato infortunium suum, quod in*

causa,

causa, vt mihi videbatur æquissima perpessus erat, deploranti, his verbis insultasse. Videsne quantum Patres Societatis hîc possint. Sed responsio ad primum tuum stramineum argumentum, nullo indiget acumine; & si quid talis ratiocinatio valeret, quàm multa absurda probaret. Simili enim argumentandi modo posset quis inferre; Christum noluisse vel pati vel mori pro genere humano: si enim hoc sponte voluit (vt certò eum voluisse sacræ paginæ testantur) quid causæ est; quòd conquestus est de Iudæis, vel capientibus se, vel percutientibus, vel crucifigentibus; vt narrant sacri scriptores. Et neq; Paulus Apostolus dicendus erit optasse pati & flagellari pro Christo: si enim optauit (vt optasse ipse de se testimonium perhibet) quid est quòd conqueratur, & tanquam supplicium & rem indignam, sibi factam in Act: Apostolorum *c. 16.* numerat, quòd eum Macedonius Magistratus virgis & flagris cecidisset, & in carcerem detrusisset. Cæsos nos, (inquit ille) publicè, indemnatos homines Romanos, miserunt in carcerem; & nunc occultè nos eiiciunt. Non ita, sed veniant, & ipsi nos eiiciant. Laudant hoc Apostoli responsum S. Patres, & vt plenũ prudentia admirantur: prædicant in eo constantiam eiusdem, & sublimes spiritus. Non abit (inquiunt illi) secretò è carcere; ne vel innocentia sua, quam illo facto testatam esse voluerat; vel fides aliorum periclitaretur. Non vult reus haberi, seditiosus: deniq; gratia Dei liberatus, vult Magistratuum ipsorum confessione, admissam ab ipsis iniuriam & suam innocẽtiam declarari. Consulit suæ bonæ famæ, & vitæ seu virtuti & laudi: vnum propter se sapientissimè retinens; alterum propter alios, cum quibus illi agendum erat, & iam egerat, misericordissimè prouidens. Hæc D. August: Hom: de bono viduitatis. Eiusdem est & illa trita sententia. Duæ sunt res, Conscientia & Fama: Conscientia tibi, fama proximo tuo. Qui fidens conscientiæ negligit famam suam, crudelis est. Possunt ergo Acephale hæc duo simul cohærescere; scilicet, vt aliquis rem aliquam parui faciat, & contemnat; imò & ab ea liberari cupiat; & tamen molestè ferat, si ei cùm sit innocẽs in pœnam ab aliquo auferatur. Aliud est enim re aliqua absolutè priuari; aliud eadem in pœnam, tanquam eam cõmeritum propter sua scelera priuari. Ad secundũ argumentum aio

duo. Vnum est, non probari eo assumptum. Quis enim nisi stultus dixerit, idcirco aliquem se insinuare in aulas Regum, quia in illis multùm potest. Alterũ, suspectam mihi esse illam tuam experientiam vel hinc; quòd illius primarij Iesuitæ nomen non expresseris. neq; enim es tam modestus, vt personæ pepercisses, si ita verè fuisset. Sed nec factũ illud ille ipse, cui hoc primarius Iesuita insultando dixit, tacuisset, si in rerum natura extitisset. Cõfictam verò esse clarè ostendit responsio illa, quam tu asseris fuisse primarij Iesuitæ; quæ nullam habet cõnexionem cum dictis vel factis illius Legati. Estné hoc Iesuitas multum posse in aulis; quia aliquis vel deplorat coram illis infortunium suum, vel patitur illud, & quidem in causa iustissima. Tu quando in aula ad Græcas Calendas eras, hæc audiuisti, nec alia noua nisi mendacia, te digna domum reportasti; quæ in dolium infusa nunc effudisti. Et hîc finem imposuisti, non quidem calumniis, sed primo designationis tuæ capiti. *Hæc*, inquis, *de primo designationis meæ capite, nimirum de politia Instituti Iesuitici, pro lectoris instructione satis.* Satis vt video, pro instructione: sed non pro veritate vt ostendi. Prodis te hîc, nolendo etiam, quam intentionem habueris in exponenda politia Instituti Societatis; scilicet vt instruas lectorem; non verò vt benè & verè.

CAPVT XVII.

Refellitur mendacium ex Gallia ab Acephalo allatum.

ACcedis iam pari animi synceritate, qua supra ad secundum designationis seu propositionis tuæ caput. *Superest*, inquis, *vt quæ in genere de sectæ Iesuiticæ natura & moribus proposita sunt, per particularia exempla comprobentur, adeoq; demonstretur; quàm periculosa harum rerum praxis ordini politico fuerit: quod secundum propositionis meæ erat caput.* Hem quid agis, non constas tibi: non erat tibi propositum ostendere, naturam Iesuitarum, mores, ac praxim vtriusq; periculosam fuisse ordini politico, vt tu hîc ais; sed demonstrare viuis exemplis periculosè Iesuitas statum politicum hincinde per Europam turbasse: vt vidimus capite septimo.

Remittis etiam hîc iam aliquid ex feruore probationis: non enim viuis exemplis, sed particularibus tantùm à teipso confi-

ctis & euanidis idem vis oſtendere. Primum autem exemplum ſumis ex Regno Galliæ. *In Galliis*, inquis, *Ieſuiticæ impreßionis cuneus tantum nuper valuit, vt quod hactenus inauditum erat, Rege illius Regni Henrico III. in ordinem redacto, familiæ Regiæ authoritatem ita penè proſtrauerint; vt & perſonam Regiam neci dediderint, & infenſiſſimæ Gallis nationi ad inuadendum Regnum, viam longè latèq; complanauerint.* Eiuſdem notæ eſt, inde etiam hoc tuum exemplum, cuius ſuperiores tuę narrationes, ſcilicet mendacium eſt, nec vnum ſed triplex; & vnum quodq; ingens. Cauſa verò cur ita aſſeram: Prima eſt, quia tu dicis. Secunda, quia non probas. Tertia, quia nemo Gallus infenſiſſimus quamuis Patribus & improbiſſimus; nec ipſe Arnaldus rabula, nec Catechiſta laicus, nec peruerſæ & falſæ orationis author, ſcribentes & multis mendaciis ac calumniis Societatem onerantes, auſi ſunt hæc omnia Societati obiicere: ſed tantùm in illam quoq; aliquam culpam huius flagitij; id eſt occiſionis Henrici III. redundare: Quam calumniam euidenter & ſufficientiſſimè amoliti ſunt, P. Ludouicus Richeomus Gallicè in ſua Apologetica expoſtulatione ad Henricum IV. Galliæ Regem Chriſtianiſſimum, *c.21.* Cuius refutatio magnam vim habere debet: quandoquidem eam de re geſta in Gallia, homo Gallus, Regi Galliæ, rerum iſtarum non ignaro, inſcripſit in Gallia. Et P. Andreas Valadorius Latinè. Alij deniq; in Germania Germanicè. Sed tu ſcripta eorum; quæ paſſim inueniuntur in Polonia, præ cœcitate videre noluiſti, vel præ peruerſitate diſſimulaſti: & rurſum mendaciſſimas merces iam toties contritas, & conculcatas, denuò in forum protuliſti. Sed quid mirum quòd iſta Patribus aliunde obiicias; cùm auſus fueris, ore pluſquam mendaciſſimo, ſequentibus verbis, obtruſionem Demetrij Moſchouitici in Regnum Poloniæ, illis quoq; aſcribere. Verſas te per omnia, ſurſum deorſumq; agitas, omnemq; lapidem moues; vt Patres etiam Maieſtati Regis noſtri (cum quo illis benè conuenire infra dicis) ac toti Poloniæ Regno, odioſos atq; execrabiles reddas. Sed nihil mendaciis tuis efficies; imò virtutem Patrum illuſtriorem, & omnibus amabiliorem in poſterum reddes: te verò ipſum infamem impoſtorem & mendacem probabis.

Oſtendis deinde, quo pacto Ieſuitæ authores necis Henrici

 III. fue-

III. fuerint: quod facis, producendo (vt tu ais) ex multis molitionibus, & artibus illorum, vnum valde insigne in hoc genere strategema. *Sub initium*, inquis, *prædicti tumultus:* cuius tumultus, & à quo excitati, nihil dicis. *quæstio illa in Galliis*, addis in margine, à Iesuitis, *agitari cœpit & decidi. Num Pontifex Romanus Galliæ populũ à fidelitatis iuramento, quo Regi suo obligabatur, in casu hæreseos absoluere poßit? Ex hac oriebatur altera, huic admodum affinis. Num cuilibet priuato liceat tyrannum occidere propria authoritate. Vtraq; harum quæstionum non noua in Gallia, constantißimè fuit negata semper ante in Collegio Sorbonistarum; imò posterior damnata etiam, vnà cum suo assertore Ioanne Prato in Concil: Constantiensi. A toto verò ordine Iesuitarum cum aliquibus aliis, vtraq; affirmata; quæ illorum decisio, priorem illam antiquam sententiam & decisionem non solùm reuocauit & annihilauit; sed & animos omnium in Gallia, ad idem secum sentiendum Sorbona fatente immutauit: & tandem quod maius est, Henrico III. (non tamen absq; Deo) necem attulit, & contra parricidam absoluit.* Iam tu hîc Patres probatione tua comprehensos & captos, ac in extremas angustias redactos existimas: sed audi. Tota hæc probatio ex calumniis est composita. Penultimã accepisti integram ex Catechista supra citato; qui dicebat, nunquam in Iacobo Clemente fuisset tantum furoris & sceleris, vt Henricum III. occideret; nisi pestilente doctrina Iesuitarum de occidendis Tyrannis fuisset afflatus. Impudentissimum hoc illius commentum refutauit P. Ludouicus loco citato. Lege illam refutationem; mihi enim describere non vacat; & cùm eam refutaueris, tunc responsum à me accipere poteris. Alias verò calumnias ex tuo addidisti: addam & ego alia illis refellendis.

Primum est; mendacium esse Patres sub initium illius tumultus, illas quæstiones excitasse; cur verò ita asseram, causa est, nõ solùm quia tu non probas, sed quia nec probare potes. Alterum, te palam hîc tibiipsi prædicta de Patribus asserendo contradicere. Si enim Iesuitæ dogmata sanctioni Ecclesiæ Catholicæ, & Regum Maiestati generatim, ac Principum apertè contraria profitentur: si Regibus vitam eripere publicè docent; quomodo Pontificibus & Regibus, maximè Hispaniæ, vt tu asseris, tam chari sunt? quomodo ad nutũ in omnibus illos obseruant? quomodo illorum factiones & progressus promouent. &c. Tertium

est, ordi-

est, ordinem Iesuitarum neq; totum, neq; secundum partem, aliud de authoritate summi Pōtificis sentire vel sensisse vnquam; siue in Gallia, siue in Polonia, siue in Hispania, vel alibi, quàm quod sentit vniuersa Ecclesia Catholica: quod Sanctorum Patrū, Conciliorum & Canonum augustissima decreta sanxerunt: deniq; quod omnes Academiæ Theologicæ Catholicæ docuerūt. Euoluantur libri Patrum omnium in hac materia, quos tu vt apparet neq; vidisti: explorentur etiam quid de hac re habeant libri aliorum grauissimorum Theologorum; & eadem ab illis & à Patribus doceri vnusquisq; inueniet. Cur ergo tu sine fronte & pudore, sine mente, dolo malo, Patres noua dogmata de potestate Pontificum docere & proponere asseris? Sed cape & aliam huius rei probationem; quæ te vt scio cruciabit; scilicet pro Societate responsionem Regis Christianissi ni Henrici IV. humanitatis & clementiæ laude clarissimi, aduersus tuam criminationem; quæ non scripto solùm, sed & typis Venetiis, & alibi impressa, in Galliis & vbiq; ferè circumfertur. Quod de Pontifice Maximo Iesuitæ optimè sentiant, eumq́; reuereantur; id quoq; ipse facio: attamen non sum nescius, nihil ab illis amplius, de summi Pontificis potestate dici doceriué; quàm quod reliqui Theologi, Catholicaq́; doceat Ecclesia: Nunquam inuentus est, qui ab iis necem Regum didicerit. Quare totum hoc quod illis obiicitur nihil est. Triginta & amplius anni effluxêre, cùm in Gallia iuuentutem excolunt: centumq́; scholasticorum millia, ex eorum Collegiis prodierunt. Anné aliquis istorum id se didicisse vel audiuisse à Iesuitis fassus est? Addo, Ministri extant Hæreticorū, qui plures annos apud Iesuitas vixerunt, interrogate eos quid de vita Iesuitarum sentiant. Constat mihi liquido, id fuisse ab eis quæsitum: respondisse autem, de moribus Iesuitarū nihil esse quod obloqui quisquam possit. Quartum circa alteram quæstionem. Num cuilibet priuato liceat tyrannum propria authoritate occidere, iniuriam Patribus supra quàm maximam à te fieri, & conuicium maximum omnibus imponi: cùm asseris ex eorum quam tradunt disciplina, quemcunq; tyrannum interfici licere. Illud certè tantū hactenus deerat in tuis scriptis; vt postquam eos improbos & sceleratos docueris, etiam hæreticos faceres, quod &

 facis.

facis. Asseris enim doctrinam de tyranno priuata authoritate occidendo ab vniuersa Ecclesia improbatam & damnatam; ab illis amplecti, doceri, promoueri. Certè doctrinæ Patrum, cui etiam dedi operam, professio hac in parte, eadem penitus est, quę totius Ecclesiæ, quæ Theologorum & Iurisconsultorum omniũ, quæ germani Canonici Iuris Antistitum. Quæ vt tantò clariora sint: en profero quæ Societatis Doctores Theologi, viri grauissimi, qui de hac materia scripserunt; idq; in libris, neq; nunc primum impressis, doceant. Tyrannus (*inquit Greg: de Valentia, tomo 2. in 2. secundæ D. Thomæ q. 8. de Iustitia, puncto 3. Molina & Lessius l. 2. de Iustitia c. 9. dub: 4.*) duplex est. Vnus est ratione tituli, seu per arrogatam sibi iniustè potestatem, quam vi obtinet: seu qui sine vllo omnino iure, armis principatũ inuadit, seu occupat; de quo & constat. Alter est ratione administrationis: quando scilicet, quanquam verus est Princeps, non per arrogatam sibi iniustè potestatem; tamen Regni administrationem flectit, non ad bonum publicum, sed ad sua priuata compendia; onerando illud iniustis exactionibus, condendo leges inutiles, & pessimè legitima authoritate vtendo. Priorem tyrannum licet, inquiunt, occidere cuiq; priuato, ex illa Republica, etiam non ad defensionem necessariam vitæ suæ, quando non est illud contra expressam voluntatem illius Reipublicæ, vel legitimi Principis: tunc enim censetur priuatus authoritatem & consensum habere ab illis. Talem tyrannum Iudita, fæmina priuata, sustulit è medio, Holofernem scilicet. Talem Aod occidit, Eglon scilicet Regem Moabitarum; qui Eglon oppresserat tyrannicè Israëlitas (loco verò Aod, tu ineptè & ignoranter Ehudum ponis) quem etiam Aod scriptura sacra ait fuisse à Deo suscitatum Saluatorem filiis Israël. Posteriorem verò tyrannum docent, nequaquam priuato cuilibet, interimere licere, quamdiu manet Princeps. Et tales tantum tyrannos occidi à priuatis prohibet Concil: Constant: Sess: 15. Damnauit enim illum articulum, in quo asserebatur quemlibet tyrannum posse & debere licitè occidi à quocunq; subdito, etiam per clancula-res insidias; non obstante quocunq; iuramento præstito, seu cõfœderatione facta cum eo. En habes Patrum de hac re sententiam; quæ est etiam Thomistarum, Caietani, Soti, & aliorum, imò

& ipsius

& ipsius D. Thomæ, (*in 2. d. 64. q. 2.*) ac proinde omnium Patrum: neque enim in rebus ad Theologiam spectantibus à sententia S. Thomæ discedunt. Mentiris ergo cùm asseris totum Iesuitarum ordinem; quæstionem de occidendo tyranno, eo modo quo fuit damnata, à Concilio, docere & probare. Mentiris etiam cùm asseris decisionem huius quæstionis factam à Iesuitis, Regi Henrico necem attulisse. Putasné tu hanc decisionem latuisse Iacobũ Clementem, qui ex eadem cum Thomistis familia Religiosa & schola erat, & eandem doctrinam cum illis didicerat; vt oportuerit eum ad occidendum Regem Henricum expectare decisionem Iesuitarum. Mentiris tandem & tertiò, & calumniaris simul, cùm dicis; Iesuitas definitionem tyranni, qui à priuato licitè occidi possit, sibi suæq; discretioni reseruare; vel insinuare, eum esse qui quacunq; ratione in Romani Pontificis indignationẽ incidat, & ex ipsorum sensu excommunicatus sit. Nonné vides Acephale mendacia tua manifestè deprehensa esse. I nunc ergo, & mendaciis pagellas imple. Addo errorem esse (quem immerito Patribus affingis) docere, Principes effici tyrannos excommunicatione vel hæresi; aut propter ista tantum, tyranni appellatione, afficiendos esse. Scimus Venetos nuper (vt omittam antiquiora exempla) censoria sacra nota, à summo Pontifice Paulo V. mulctatos; quis tamen eos, non nisi amens, habuit vel censuit pro tyrannis. Quis etiam, quamuis hæreticissimum Regem Angliæ, qui nunc illi Regno præest, tyrãnum propter solam hæresim appellauit. Excommunicatio, nonnisi excõmunicatum facere potest, eaq; fulminatur in Principes; non vt tyranni fiant: neq; vt suis ditionibus remoueantur: neq; vt subiectis gentibus laxentur habenæ, & ab obedientia suis Principibus, & fide debita liberẽtur; verùm vt homines salutari terrore ad pietatis frugem, quasi adducto fræno reuocentur. Concludo, Hæreticorũ modernorũ, id est, Lutheranorum & Caluinistarum, hanc esse sententiam; licere quemcunq; tyrannum impune occidere cuique priuato. Possem hoc per multas chartas ex libris illorum ostendere; sed quia hæc apud alios scriptores non difficile est inuenire, vnius vel alterius testimonio probabo; ne vt tu soles dicere nõ probare videar. Zuinglius in 1. excussorum voluminum indice, à Gebe-

nensibus,

nensibus, sic ait: Reges improbos, id est Catholicos; vt ille more suo loquitur, euerti fortunis regnisq́; debere. Hanc sententiam nihilo melior Zuinglio Caluinus, Saulis & Manassis exemplo declarat: quanquam suam sententiam de hac re, more vulpino, ibi non prodit; sed in Daniele c. 6. quid sentiat clarè ostendit. Principes, qui turrim, ait ille, se contra Deum extollunt, sua se ipsi potentia priuant; imò verò indignissimi sunt, qui in hominũ cœtu ac numero reponantur: potius igitur illis est facies conspuranda, quàm ipsorum imperiis obtemperandum; nisi omnem superstitionem exstirpent, & funditus tollant. Idem sentit & Lutheri genitus Sleidanus scribens sic lib: 11. Quia Cæsar Religioni (Lutheranæ) exitium molitur & libertati; causam præbet, cur illum oppugnemus bona conscientia. Cùm enim in eum casum res deuenit, licet resistere; sicut & sacris & prophanis Historiis doceri potest. Hæc est sententia scholæ Lutheranæ & Caluinisticæ, quam discipuli illorum mirum est quantum amplectantur, & comprobant; & tandem executioni mandent. Vide & lege hæc apud authorem Amphiteatri honoris, virum verò honore in omnem æternitatem dignum. Et tamen hosce tu Acephale, qui Regum causæ tam officiosè patrocinari te simulas, ne verbo quidem attingis. Apparet liquido te non hoc propositum habuisse, vt iura Regum defendas, sed vt omni Societatem crimine lacessas, notes; & si posses, perdas.

CAPVT XVIII.

Refelluntur mendacia Venetiis, ex tota Italia & ex Britannia ab Acephalo allata.

PRobandæ & firmandæ magis gratia eiusdem rei, Iesuitas scilicet statum politicum periculosè per Europam hinc inde re ipsa turbasse, & vitam ac mortem Regum ab arbitrio & determinatione illorum pẽdere, adfers alia duo exempla. Verba tua post recensitum exemplum ex Gallia sunt. *An non per hoc decretum Iesuitarum omnium Europæorum Regum, & quorumcunq; Magistratuum politicorum mors & vita ab arbitrij eorundem Iesuitarum horoscopo suspendatur; vt si hic illis dextrè ascendat, ipsi viuant & valeant, sin minus, pereant. Qua de re præ-*

de re prædicta Venetorum calamitas, & Regis Britanniæ perpetua pericula abundè testantur. Quid? Venetorum calamitas, mortem & vitam ab arbitrij Iesuitarum horoscopo, vt tu ais, pendere testatur. Fortasse illi mortis aliquod periculum ab illis subierunt? Mentiris. nam ipsi nihil tale contra eos testantur, nec eos authores esse calamitatis suæ dicunt. Lege & perlege scripta omnium septem Doctorum illius serenissimæ Reipublicæ; & videbis nullam ibi mentionem Iesuitarum fieri, nihilq; illis obiici: quod sine dubio fecissent, si ipsi causa vel occasio illius calamitatis; quod illi non ignorarent, fuissent. Accedit quòd Venetorum calamitas non alia fuit, te etiam fatente, quàm excommunicatio contra illos lata. Hæc verò, nihil aliud testatur; quàm malam & iniuriosam Ecclesiæ Christi fuisse legem, cuius illi, moniti etiam ne facerent, nihilominus executionem vrgebant. Et cessauit hæc calamitas, vbi illi etiam cessauêre à praxi talis legis. Hîc verò quid culpæ habent Iesuitæ? imò quàm æterna laude digni. Nolebat summus in terris Christi Vicarius Paulus V. reuocare excommunicationem quam tulerat contra Venetos; nisi illi quoq; inter alia, omnibus Religiosis qui ex ditione illorum, metu excommunicationis sponte discesserant, potestatem ad sua loca derelicta redeundi facerent. Tergiuersabantur Veneti, maximè quod spectabat ad Patres Societatis; propter causam supra narratam: qua re cognita Præpositus Generalis Societatis IESV, Claudius Aquauiua, summum Pontificem adiit, atq; ab eo obnixè postulauit; vt nulla habita hac in re Societatis, pœnam illam, omni corporali maiorem, quam Venetis inflixerat, ab eis quantociùs tolleret: se enim & suos, modò pax serenissimæ illi Reipublicæ restituatur, velle etiam in perpetuum, domiciliis, quæ in tota ditione Veneta habebant, & habituri erant, carere.

De periculis perpetuis moderni Regis Britanniæ à Iesuitis, maius mendacium est, quàm illud de Venetis; quod tu mutuatus es à Litho Misseno Germano Caluinista: qui vltimam coniurationem factam contra Iacobum Regem Angliæ, Iesuitis affinxit, & scripto famoso diuulgauit. Sed accepit ille dignam suis scriptis responsionem; scilicet stigma suæ fronti, effronti, inustum; ob tam horribile mendacium, à P. Iacobo Gretsero è Socie-

G tate;

tate; vbi ille oſtendit ad oculum, hoc de Societate, etiam ab ipſis Anglis hæreticis negari. Sed fortè exclamabis hîc: en Rex ipſe Britanniæ Iacobus, in præfatione ad omnes Chriſtiani orbis Sereniſſimos Monarchas ac Reges, &c. Apologiæ ſuæ, pro iuramento fidelitatis, hoc præſente anno, ab eo non Anonymôs iam editæ, coniuratis annumerat Ieſuitas; & maximè Garnetum, quē ironicè ſanctum appellat. Quid tum? Rex annumerat ipſe? ergoné omnino iam certum erit? iam omnes credere dictis & ſcriptis eius oportebit? nemini negare, & pro veritate dicere licebit? Te ſi moloſſum rabidum is quoq; aſſereret, & inter eos canes, qui Acteona dilaniarūt, fuiſſe; ideoné iam hæc de te fabula indubitata foret? Et ſanè ſic pro certiſſimis & veriſſimis dogmatibus, habenda iſta eſſent; Pont: Romanum non poſſe excōmunicare: nullam in Reges, etiam ratione auctoritatis Eccleſiæ Chriſti, poteſtatem habere: vnūquemq; Pontificem Antichriſtum eſſe, &c. quia in hoc libello Rex hæc, & alia multa veræ fidei contraria aſſerit, & ſcribit. Quanquam & in præfatione eadē teſtatur Rex, ex coniuratis, maximis tormentis notitiam hanc & veritatem extorqueri non potuiſſe: vnde igitur poſtea conſtitit Ieſuitas coniuratione, ſuæ vitæ ſtruxiſſe inſidias? Cur antea patefacto hoc crimine & diſcrimine, recenſitis coniuratis, datis publicis litteris & iconibus, omiſſi ſunt Ieſuitæ; nunc autem ſceleris authorū ſocios conſcios fecit. Vereor ne occaſio aliqua huius rei fuerit Card: Belarminus Ieſuita; qui epiſtolam monitoriam ſcripſit ad G. Blackuelum Archipresbyterum Angliæ, vt iuramentum illicitum, quod ab eo Rex prædictus exigebat, recuſaret. Porro quòd Garnetus periit, fides Catholica & conſtantia pro veritate eidem mortem, non cōiuratio accerſiuit, editaq; miracula; ipſis etiam plurimis hæreticis Anglis nota, innocētiam eius (quæ Deus ſine dubio ſi coniuratus & ſceleratus fuiſſet denegaſſet) palam teſtatam reddiderunt. Sed veritas vexari poteſt, deleri & tolli nō poteſt. Ab Anglis redis rurſus ad Venetos, & magnum animi tui mœrorem in cauſa illorum exprimens, dicis: *Hæc ſecta*, id eſt Ieſuitæ, *per vniuerſam Italiam pro peſtilentiſſimis hæreticis Venetos proclamare dicitur; ideo ſolùm, quòd illorum cupiditatibus frænum iniecerint: & quòd fortè etiam (de quo mihi conſtat) inquiſitoriæ poteſtatis libidinem, intra*

nimis

nimis arctos carceres concluserint. Sed quomodo tu ista probas contra Societatis homines. Dicitur, inquis; A quo, nihil dicis: fortè à teipso, & ex tuo dolio quod nondũ euacuasti. Et potest sanè esse, quod dicatur ab aliis; sed ore, non veritate. Ast ego, contra tuum dicitur; adfero scribitur à multis, verissimè. Scripserunt aliquot ex Societate contra septem Doctores Venetos, & alios, qui iniustam esse excommunicationem summi Pontificis latam contra serenissimam Rempub: Venetam proclamabant. Inuenistiné tu tale aliquid quod asseris, in illis; cùm tamẽ in suis scriptis ista dixissent, si dicebant: & si ista in Italia contra Venetos à Patribus dicebantur, quomodo latebat Venetos; si te non latent extra Italiam manentem. Nonné etiam Legatus Venetus, qui Romæ manebat eo tempore sciuisset ista: quomodo porrò interrogatus à Pontifice; cur Societas à Venetis non admitteretur, non respondisset potiùs; quia illos proclamârunt pro pestilentissimis hæreticis vbiq; per Italiam. Perbellè te etiam illis verbis, *& quod fortè &c.* prodidisti: qualem, ipse vides, & perdidisti. Si enim tibi constat, Religiosos Societatis ideò pro hæreticis Venetos per Italiam proclamasse, quia illi inquisitoriæ potestatis libidinẽ intra nimis arctos carceres cõcludunt; quomodo dicis fortè propterea? Potior certè ratio, si ita est, esset; omnes Polonos pro pestilentissimis hæreticis proclamare, quia illi inquisitoriam potestatem, nullo modo admiserunt. Cur ergo eos pro talibus non proclamant, edissere nobis. Agnosco te etiam ex illo verbo, *inquisitoriæ potestatis libidinem*, semen esse diaboli, filium ex schola Lutheri aut Caluini. Quis enim pius Catholicus talia dixisset vel dixerit? Non dissimile est illud aliud, Catholicoromana. *Constat*, inquis, *Henricum III. in Catholicoromana communione vsq; ad extremum perstitisse*. Estné alia in mundo Ecclesia Catholica, nisi Romana. Fortè tu putas Caluinianam synagogam vel Lutheranam esse Catholicam: & ideò ad distinctionem à Catholicocaluiniana, addidisti Catholicoromana. At quomodo Catholica est Caluiniana vel Lutherana, si non vniuersalis? Quod deniq; furoris Iesuitarum, quo Henricum III. persecuti sunt, causam verã hanc esse dicas; quia sceptrum Regium, non ei tradere volebat, quem sibi Iesuitæ tanquam idoneum molitionum suarum administrũ

 Galliæ

Galliæ Regem destinauerunt; more tuo loqueris: hoc est, non modò audes conuicia omnium confessione falsissima contra innocentes promulgare; sed ne ea quidem laboras vlla saltem probabili specie colorare.

CAPVT XIX.

Examinatur obiectio, quam sibi ipsi facit Acephalus; & responsio cum suis probationibus.

OBiicis postmodum tibi ipsi, & respondes; nihiloq; melius vtrumq; facis, quàm soles probare tua. *Sed hîc fortasse aliquis dicere volet: In Polonia nihil ab hac parte esse periculi, quòd Iesuitis cum Rege nostro probè conueniat. Mallem hos dicere posse; Regi nostro cum Regni Ordinibus, & his cum Regia Maiestate probè conuenire: hoc enim ad Reipublicæ salutem aliquantò vtilius esset. Sed quanquam hoc verè dicatur, mihi tamen solicitudinis meæ causam non tollit.* Agunt tibi gratias Patres, quòd tandem aliquando, te illis clementem exhibeas. Fateris enim, quod attinet ad vitam & mortem Regis nostri Serenissimi Sigismundi, pro tempore hoc verè dici; nullum esse periculum ex parte Societatis. Sed nonné tu paulò antea dixeras; totam & vnicam causam ex parte Societatis, Henrici III. mortis, &c. fuisse decretum illud & sancitum Iesuitarum; licere scilicet cuilibet priuato tyrannum, hoc est, eum qui omnes illorum molitiones & pessimas artes non probat, nec seriò promouet, occidere. Quomodo ergo affirmas ex hac parte nihil esse periculi nunc Regi nostro à Iesuitis? nisi forté dicas, illos contrarium illi decreto in Polonia docere. Sed tunc te mentitum esse admittere debebis. Dixisti enim in superioribus, illam sententiam de occidendo tyranno à toto Iesuitarum Ordine, doceri. Tyrannum verò Regẽ nostrum esse, iuxta definitionem tyranni, à te ex mente Iesuitarum datam, & pro tali eum ab ipsis haberi, non negabis. Non enim audebis, nisi impius esse velis, dicere; omnes Iesuitarum pessimas artes, &c. ab eo probari, & seriò promoueri; qualis solùm apud Iesuitas tyrannus, vt tu asseris, non est.

Circa illud tuum; *Mallem hos dicere posse, Regi nostro cum Regni Ordinibus probè conuenire.* Interrogo, quid tu hîc per Regni Ordines intelli-

intelligas? vnum né quemcunq; nobilem Polonum & Senatorẽ, vel omnes Nobiles & Senatores? Si primũ, ſtulta & impia optas: ſi ſecundum, etiam quæ fieri non poſſunt. Quomodo enim Rex noſter, cum vnoquoq; conuenire poterit; maximè ſuppoſita tanta diſſimilitudine animorum & operum, quæ inter noſtrates eſt. Quomodo etiam Rex cum illis conuenire debet, qui inter ſeipſos (vt tu ipſe concedis, & negare de vniuerſo Regni noſtri Ordine non potes) non conueniunt. Et velles tu, vt Rex noſter tecum quoq;, qui alienæ famæ violator, obtrectator, & impudentiſſimus mendax es, conueniret. Ergo & cum iis, qui Regi & Reipublicæ non obediunt; qui arces produnt, qui bona ſua abliguriunt, & aliis id genus vitiis ſe obſtringunt: quales vtinam Patria noſtra non haberet. En qualis tu Patriæ amator ſis; & tamen impudentiſſimè fingis, te ſolicitum eſſe de ſalute illius & Regis noſtri: & ideò dicis: *Quanquam hoc verè dicitur; mihi tamen ſolicitudinis meæ cauſam non tollit. Quis enim certò poterit dicere, hoc Regi noſtro perpetuum futurum, vt Ieſuitis propitiis vtatur.* Ille Acephale dicere poterit, qui nouit, & qui ſyncero oculo intuetur, mores, vitam, & cõuerſationem hominum de Societate: ille qui vidit & intellexit, illos omnibus Regibus etiam malis; etiam idololatris, in Indiis, in Iapone, in Regno Sinenſi, obedientiam, reuerentiam, & obſeruantiam debitam reddere. Deniq; ille qui ſcit, quàm fideliter ſeruierint prædeceſſoribus Regis noſtri, ſanctiſſimæ memoriæ Regibus Poloniæ, Sigiſmundo II. & Stephano I. Sed moues & aliud dubium: *Quid ſi Rex noſter deprehenſis aliquando Ieſuitarum artibus; à quibus eum hactenus plerią; circumuentum exiſtimant, animum mutet, & potiorem reſpectum Reipublicæ habere incipiat, ecquid tum eum ſperare iubebimus?* Quàm tu hîc honoratè de Rege tuo; & quidem publicè loquaris, iudicet vnuſquiſq; æquus rerum æſtimator, & Regum ſuorum famæ amator: imò quàm iniurioſè, oſtẽdam: Nonné ſumma eſt iniuria & crimen, dicere; Regem noſtrum, potiorem habere rationem Ieſuitarum, quàm Reipublicæ. Palles, etiam impudentia ſcit mutare colorem. At iſta verba tua ſunt: *Quid ſi Rex noſter,* ais, *mutato animo contra Ieſuitas, potiorem Reipublicæ rationem habere incipiat;* ſubintelligitur, quàm Ieſuitarũ. Nunc ergo non habet. en teneris: & hoc tu volebas; ſed quia

quis ſis non conſtat, (ſi tamen non conſtat) nihil curas: & ideò vt ſcripto tuo peſtilenti impunè iniurioſus eſſe poſſes; non ſolũ contra Ieſuitas, ſed & contra Regem tuum, contra Regnum, cõtra Reges Hiſpaniæ, contra ſedem Apoſtolicam; deniq; contra ipſam Eccleſiam Chriſti, nomen tuum occultaſti. Dic Acephale, qui ſunt illi pleriq; qui Regem circumuentum artibus Ieſuitarum exiſtimant; tu fortè & alii ſimiles tibi: ſcis quales? Quanta Deus bone prudentia in his viris, qui & Regem circumuentũ ab artibus Ieſuitarum cognoſcunt, (quod tamen Rex ipſe, & auſim dicere ferè totus Regni Senatus non agnoſcit) & ipſi ab illis circumueniri non poſſunt. Quod ſi Rex noſter malas artes Patrum deprehenderit, & animum iccirco contra eos mutauerit; non eſt quod tu eum ineptè, vel deſperare, vel aliquid ſperare iubeas, ſed nocentes caſtigare: affirmo tibi eorum nomine, quòd libenter pœnam ſubibunt, ſi tales inuenientur; non ſe defendent, ſi conuicentur; non patronos inuocabunt ſi culpam habebunt. Sed ſi non deprehenderit, vt non deprehendet, ipſe & tota Reſpublica; & vtinam inquirat, tunc te pœna talionis manebit. Sed quid ego, imò omnes boni tunc Regem ſperare iubebunt? Nocentem enim te caſtigare non poterit; quia nomen tuũ ne agnoſcereris, occultaſti: ſed & ſi non occultaſſes; cœlum enim & terram miſceres, & nihilominus ore mendaci, & conuiciis aſſueto, Regem Reipublicæ rationem non habere, & Ieſuitarũ artibus circumuentum eſſe clamares. Manum tamen & iudiciũ Dei non effugies; coram quo, huius etiam calumniæ rationem certò es redditurus, & mercedem dignam illa; niſi reſipiſcas eamq; reuoces, accepturus: Sagittas ſcilicet potentis acutas, cum carbonibus deſolatoriis; hoc eſt, plagas acerbas, inflictas ab omnipotente, quæ ferient te, vt ſagittæ vibratæ à brachio potentis: & incendia pernicioſiſſima æterna, quæ vrent te, vt carbones ardentes. Hæc tibi lingua tua calumniatrix dabit, hoc commodum & hos fructus illa tibi afferet; ſi non reſipueris, quod tibi ex animo opto.

Adſtruis deniq; veritatem prædictorum ab exemplo. *An non fuit*, inquis, *tempus in Galliis, quo Henricum III. ex Polonia redeuntem Ieſuitæ eo plauſu excipiebant; vt laudum eius præconio exſatiari nequirent, dictitantes*

dictitantes huic vni indiuiduo, omnes Constantinos & Carolos Magnos, omnes Ludouicos, &c. inclusos esse, &c. Quæ tamen omnia eum non iuuerunt. Nam hi ita postmodũ mutati sunt; vt eum non solùm occidi curauerint, sed occisi cadauer, quãtum in ipsis fuit, sepultura prohibuerint, ipsumq́; par.icidam, in Diuorũ catalogum retulerint. Quis tanta audacia clarissimam veritatẽ Acephale asserere audet, quanta tu ipsissima mendacia asseueras. Mentitum te esse, cùm Iesuitas introducis laudantes Henricum redeuntem ex Polonia, ipse fateris: in margine enim famosi tui libelli, eodem loco, ais id à Catholicis factum, antequam illis displicere cepisset Henricus: vbi etiam impiè addis, ab iisdem Catholicis tantum non pro altero Messia eum habitum. Cùm verò dicis Patres curasse, vt occideretur Henricus, & prohibuisse cadauer illius sepultura, & occisorem in Diuorum Catalogum retulisse; mentitum te esse turpissimè manifestum est: nullus enim vnquam in Gallia, inimicissimus quamuis Societati, & perditissimus, hactenus hoc illi obiecit; vt etiam annotaui supra. Accedit quod inde tu infers; Patres curasse vt occideretur Henricus, quia docuerunt sub illud tempus, tyrannum licere vnicuiq; priuato occidere: hoc ipsum autem mendacium est: iam enim quid illi in ea re doceant, ostendi supra. Et quamuis hoc illo tempore docuissent; tamen ista tua mendax conclusio ex illa antecessiuncula, seu præmissa subsumpta ac disparata non sequitur. Hem, quid tu non diceres contra Patres, & quomodo triumphares; si ille Clemens occisor, non Dominicanus, sed Iesuita fuisset: qui etiam tunc Ordinem eorum non polluisset; sicut nec Iudas proditor, fur, & homicida, scholam Christi & Collegium Apostolorum, labe aliqua infecit: neq; Clemens familiam illam, in qua Religioso instituto suscepto viuebat. Vnde nemo ne tenuiter quidem ausus est illam iccirco accusare; multò verò minus Patres inde argui possunt; quorum nec discipulus, nec familiaris, &c. fuit: sed vt illustrior sit tua libido, id quod non est fingendi; accipe contra tuum argumentum futile, documẽtum non odij, sed amoris Iesuitarum constantissimi in Henricum III. Sic enim Ludouicus Richeomus in sua Apologetica respõsione Henrico IV. qui nunc Regni Galliæ clauum tenet, ea de re narrat. Edmund9, inquit, Augerius, homo Societatis, inter alios vir clarissimus tota Gallia,

ta Gallia, nostra memoria summus Orator, Regiq; Henrico III. vita functo inprimis vsque ad mortem iucundus & charus; cùm Lugduni conciones haberet; vt recordantur omnes illius ciuitatis incolæ; cùm illa ciuitas, maximè fœderatis armis ardesceret, eum solitum semper è superiore loco, spectante atq; etiam plerunq; fremente infinita ciuium multitudine, pro Rege illo orare, eum commendare populo, laudare, defendere, &c.

CAPVT XX.

Mendacia Acephali contra Societatem de atterendis legibus Reipublicæ.

H*Vcusq;*, inquis, *de vi aculei Iesuitici contra Reges statumq; Regum; nunc de efficacia eiusdem pestis in atterendis legibus Reipublicæ, illis scilicet, à quibus in instituta sua venatione impediuntur.* Et ne dicere tantum videaris, probas tribus exemplis: Primum, *in Galliis legem Salicam matriculam & fundamentum illius Regni; per quod stirpis Regiæ mascula proles exclusis fæmellis ad Regnum sola admittitur, Iesuitæ attriuerunt. Cùm enim vigore prædictæ legis successio Regni post interfectum Henricum III. ad Henricum IV. deuolueretur, secta Iesuitica interpretando hoc ipsum suum interitum esse, tantum effecit. vt Galli hoc Reipublicæ suæ fundamentum ipsimet subruere conati sint, adscita contra hanc legem Philippi II. Hispaniarum Regis filia, in Regni sui hæredem; operis totius promotoribus Iesuitis.* Acutus tibi hîc videris; sed desipis crede mihi. Lex Salica, vt author est Alnatus & alij, dicitur à Saliis; qui sunt populi Germaniæ non Galliæ; vocabantur & sacerdotes Martis, Salij: quia scilicet in portandis ancillibus saltare illos mos esset: vt videre est apud T. Liuium, & Ciceronem sæpè. At tu à te ipso fortassis quia saltas ab vno mendacio in aliud, transiliens omnē veritatem, appellasti illam legem Gallicam, Salicam. Si talis lex apud Gallos est, & si illi contra hanc legem Philippi II. Hisp: Regis filiam in Regni sui hæredem elegerunt, hoc ipsi viderint. Patres certè contra eam legem molitos esse, mera calumnia est. Sanè si hæc res vel similitudinem veri aliquam habuisset, non omisisset eam occasionem Arnaldus furiosus, vel Catechista improbus, vel stolidæ orationis author, Galli omnes in Iesuitas debacchandi.

bacchandi. Alterum in Polonia, *periculose legem electionis liberæ, libertatis Polonicæ fulcimentum, hæ tineæ, id est Iesuitæ, arroserunt.* Arrodis tu hîc canina rabie veritatem, id est, mentiris, & mendacem agis: hoc enim est nomen huius tineæ: Omnibus quod sciam, Iesuitis, qui nobiles sunt; imò & aliis, placet illa lex, electionis liberæ; nec vnquam ego audiui illam à quoquam de Societate vituperari: & tamen cum illis familiarius sum, quàm tu versatus. Sed addis: *quanquam egomet hoc nolo dicere; nec publica ipsemet diuulgare.* En ex vno ore calidum & frigidum. Quod enim modò dixisti & diuulgasti; sanè non inuitus, iam te illud nolle dicere & diuulgare dicis. Quodsi admissum à te mendacium, iam te corrigere prætefers; mihi vt id credam non persuades: cùm nouum mendacium in tertio exemplo committas. Est autē illud, *In Hungaria, Austria, Styria, &c. leges omnes, quibus prædictarum nationum libertas nitebatur, obtriuerunt Iesuitæ: hinc factum est, vt illæ nationes partim ab illis oppressæ sint; partim ad extremam desperationem adactæ.* Ita tu semper vis, quæcunq; vis, de Iesuitis loqui sine probationibus & testimoniis. Cogita quæso paulisper, quid dicturus esses, si ego, eadem figura, mutato nomine Patrum, assererem; te totum illud perpetrasse, de quo illos accusas. Addo, te totam hanc calumniā mutuatum esse ex Misseno Caluinista; quod mihi constat ex libello P. Gretseri, qui inscribitur Stigma Misseni: in quo responsum quoq; ad eandem habetur, quod ego non repetam; licet tu idem mendacium tanquam nullam eius solutionem habueris, fronte effronti repetas. Illud tamen non prætermittam; quod Societatis homines insimulas; quasi obtriuerint leges prædictarum nationum, ipsasq; nationes oppresserint, &c. id reliquis tuis audacissimis & impudentissimis criminationibus & sicophantiis annumeretur. Sed scio quid tu his verbis intelligas: scio cur ea euomas. Credis enim authoribus & suasoribus Iesuitis Serenissimum Principem Ferdinandum imperasse heterodoxis, in Styria & Carinthia, aut mentem aut sedem mutare. At vnde habes, non sine opera Iesuitarum illud factum fuisse? Dices fortasse; ita Missenus narrat. O testem dignum te, dignum tua causa. Sed fac ita se rem habuisse: esto enim Iesuitæ id suaserint; num iccirco iam ab hæreticis, legum obtritores & innocentum oppressores dicendi sunt? O rem intolerabilem. Si Princeps hære-

 ticus,

ticus, Lutheranus aut Caluinista, exturbat orthodoxos ex hæreditariis suis Prouinciis, authoribus Ministris earundem sectarũ, nihil tale imputatur illis à Catholicis: laudabunt etiam hoc factũ suum & Principis, ipsi Ministri; imò & omnes eiusdem farinæ homines; nominabunt etiam zelum pro domo Dei tuenda susceptum, & tanquam ad omnem posteritatis memoriam, commemorandum Religionis argumentum decantabunt. At si Princeps Catholicus, simile quid in Lutheranos vel Caluinistas; etiam non authoribus Iesuitis decernat (modò tamen illi in illius Principis ditione sint, vel à confessionibus ipsius, vel Concionatores) iam hostes Ecclesiæ, Iesuitas esse, legum obtritores, innocentum oppressores, & sexcenta talia clamitabunt. Sed quod intolerabilius est; affingis tu hoc ipsum Iesuitis, siue Princeps Catholicus Hæreticos exturbat ex suis Prouinciis, siue Hæreticus Catholicos; nam & expulsionis hæreticorum ex Styria & Carinthia Patres authores hîc facis, & eiectionem omnium sacerdotum Catholicorum, ex Transyluania & Hungaria, & deniq; persecutionem grauissimam in Anglia contra omnes Catholicos exortam, iisdem Patribus supra & infra adscribis. Sed si calumniandi cupidine obcœcatus non fuisses, vidisses quis causa fuerit motuum in Hungaria & Transyluania; scilicet Hæresis pestilentissima Ariana. Huius siquidẽ sectæ homines, non semel Iesuitas eiecerunt ex prædictis Prouinciis; non ob violationem aliquam legum, sed propter maleuolentiam & odium quo omnes Hæretici Iesuitas prosequuntur: quod non semel constantissimè affirmauit Sigismundus Bathoreus. Habes plura huius rei documẽta & argumenta clarissima in Proba Societatis P. Scargæ; quæ tu propter calumniandi Patres libidinem, videre noluisti: si enim ea vidisses, obmutescere debuisses. Lege ergo vel nunc; & simul, quomodo P. Ioannes Argentus in Comitiis celebratis Meges, innocentiam Patrũ omnibus probauerit. Deniq; quale elogiũ & publicum testimonium innocentiæ illorũ Princeps Bockai dederit. Concludo testimonio Sigismundi Racocij, Principis Transyluaniæ non Catholici; qui cùm conatus fuisset plurimùm Patres reducere, nihilq; in ea re profecisset, literis patentibus testatus est, Iesuitas nonnisi propter Religionem, & propter plurimas Hæreticorum voces Transyluania excludi.

CAPVT

CAPVT XXI.

Cur Anonymus oderit Iesuitas.

NON poteram ante coniicere, vnde tibi tanta in Iesuitas acerbissimi felis copia fuerit collecta: vnde istud odium tam inexsaturabile, quo in eos exardescis; sed ex præsentibus verbis tuis, quæ examinabo, clarè collegi. Odium tuum contra omnes Iesuitas est; ac proinde non personale, sed commune; neq; ex causa priuata nascitur, sed ex publica. Odisti Patres odio illo generali, quo improbi bonos, hæretici Catholicos. *Pacem*, inquis, *Religionis, id est Confœderationem, vnicum furoris Iesuitici repagulum, ita Iesuitæ traducunt; vt eam Tartaricam & Machometicā perfidiam nuncupent: quam Regia Maiestas, citra æternæ salutis suæ iacturam, nec approbare possit; ne dum vt eandē tueri debeat.* Hinc omnes tuæ lachrymæ & furor cōtra Patres; Confœderatio hæc odium tuum & conuicia, quæ hactenus dixisti, contra eos elicuit, & dentes tibi ad mordendos illos & dilacerandos exacuit. Cur ita? Quia ex numero hæreticorum nostratium es; qui cùm audiunt à quopiam Catholicorum Confœderationem damnari, putant iam se expeti ad mortem, & sua bona ad direptionem; & quia hæc subire nolunt (non enim tanti faciunt, fidem suam Lutheranam vel Caluinianam, &c.) Cōfœderationem vrgent, laudant, & contra eos, qui eam condemnant verbis, conuiciis & maledictis insurgunt, multaq; eis nefaria, & horrenda affingunt. Sed heus quomodo tu, qui te Christianum esse profiteris, Confœderationem impiè ausus es hîc appellare, pacem Religionis: nisi fortè nomine huius perfidiam, sectam, vel idololatriam intellexeris. Nonnè Confœderatio, de qua loqueris, præcipuè & primariò est, licentia & libertas, eaq; lege concessa, vt quiuis possit credere, quomodocunq; ei libuerit: hæc verò quomodo dicenda: est pax, & non potiùs perturbatio veræ Religionis, falsæ verò propugnaculum. Pacemnè putas attulisse veræ Religioni, decreta illa nefaria, impia & blasphema contra Christum, ante aliquot annos condita, & statuta ab Arianis, apud nos in Rakovo. Lege illa apud P. Scargam, in libello qui inscribitur Confusio Arianorū. lege inquam, & si micā

Christianitatis & pietatis habes, legendo exhorresces, &c. Atqui vt hæc & alia similia facerent, Confœderatio tua illis licentiam dedit, & timore ac pœna omni eos liberauit. Risu excepi illa alia tua verba, quibus asseris; Confœderationem esse vnicũ furoris Iesuitici repagulum. Dolenda certè est fortuna omnium Hispanorum, Lusitanorum & Italorum; quandoquidem omnes illi hoc vnico repagulo furoris Iesuitici, Cõfœderatione scilicet, carent; sed carent eodẽ & Styrij & Carinthij. at quomodo Deus bone viuunt? quod monstrum hoc? quomodo à furore Iesuitico non sunt consumpti? quomodo etiam furorem Iesuiticum Poloni non senserunt, quando non habuerunt hoc vnicum repagulũ. Priores enim sunt Iesuitæ in Polonia, quàm tua Confœderatio; quæ nonnisi anno 1573. nata est ad Varssauiam sub villa Kamien: quomodo verò nata est, & quibus authoribus, & quare, omitto. illud tantùm, ne tota natio nostra infamiã apud alias gentes propterea patiatur, dico: Confœderationem hanc nõ esse, vt tu hîc & infra in fine veritatis hostis, asseris, Legem Polonam, Ius, aut Constitutionem vniuersalem, totius scilicet Nobilitatis iuramẽtis sancitam & confirmatam. Testatur hoc inprimis inuictissim⁹ Rex noster Stephanus. Verba ipsius in Constitutione Cracouiensi tempore coronationis suæ anno 1576. hæc sunt: Et quia in hac nobilissima Republica Polona, non pauci sunt dissidentes in Religione, cauerunt hoc sibi, aliqui indigenæ, eiusdem Regni peculiari Confœderatione, ne in causa Religionis turbationes patiantur. &c. Testatur & Illustriss: Vchanski, Archiepis: Gnesnensis; qui eo ipso tempore, loco & die, cùm ea Confœderatio sub electionem Henrici III. cuderetur, obstitit illi, reclamauit, nec subscripsit; cùm tamen Primas Regni esset, & primum regimen in Interregno haberet. Extat hæc eius reclamatio & protestatio Sochaczeuiæ in Regia Cancellaria; quam ipse statim, contra hanc Confœderationem; non solùm nomine suo, sed omniũ Episcoporum, & totius Cleri, vnanimi consensu fecit. Idem eodem tempore egit Parisiis Konarski, Episcopus Posnanień. vnà cum aliis Collegis suis, apud Henricum III. ad quem deducendum & ad Regnum adducendum missus erat à Republica. Hoc idem fecerunt ferè in singulis Comitiis omnes alij Episcopi; imò

& integri

& integri aliquot Palatinatus. Sed hoc ipsum & tu ipse hîc admittis. Verba tua sunt: *Noui tamen, quid etiam hîc nonnulli excipiant: non esse tantoperè admirandum, si Confœderatio illa, fortasse non omnibus probetur, sub qua nimirum tot abominandæ sectæ, quotannis inter nos suppululēt. Age itaq; cedamus eis.* Hîc verò iam fateor, illud quod Patribus obiicis, Confœderationem scilicet hanc ab illis, non quidem traduci, (quia nonnisi bonæ res traducuntur, qualis non est Confœderatio tua) sed vituperari; non quia sit furoris illorū repagulū, vt iam ostendi (neq; enim sanguinem vestrum hæreticum sitiūt, nec spargunt, vt testis est etiam nunc Styria & Carinthia; imò suum proprium, quando ita necesse est, pro vera & Catholica fide profundunt, & profuderunt non semel, authoribus & carnificibus hæreticis) sed quia impia & abominanda in se continet: Quæ causa etiam est, vt de ea pronuncient illud. Non posse illā nec à Regia Maiestate, nec ab vllo quopiam Catholicorū, sciente quid illa sit, & quæ in se contineat, citra æternæ salutis iacturā approbari. Sed quæ sunt illa impia quæres? explicat ea & ostēdit clarissimè & doctissimè R. D. Hieron: Povodovski, Canonicus Gnesneñ in suo libello, qui inscribitur Propositio ex Decretis S. Scripturæ collecta: vbi non solùm appellat, sed etiam probat eā esse impiam, iniustam, peccatum contra Spiritum S. asylū omnis nequitiæ, & quæ tollit omnem iustitiam spiritualem & secularē. Eadē habentur & fusiùs, in libello quodam Polonico, Anno 1596. impresso sine nomine: cuius titulus est, Processus contra Confœderationem; vbi etiam ostēditur, quibus & quot impiis sectis & abominandis plena sit Confœderatio Polonica, fatētibus etiā hæreticis. Certè nemo negare potest, eum qui hanc Confœderationem approbat, promouet & tuetur; approbare, promouere & tueri blasphemias contra Deum: approbat enim, promouet & tuetur omnes hæreses, quæ sunt vel possunt esse; quarum aliquæ palàm blasphemias maximas redolent, & docent contra diuinam Maiestatem. Ariana secta Deum verum Trinum, quem nos omnes Catholici colimus & veneramur, appellat nefandissimis nominibus. Franciscus Dauid Lismanus, Minister illius sectæ, vocat eum Cerberum, id est, canem infernalem tricipitē: Deum sophisticum, idolum nouum in orcum detrudendum, tur-

 rim Ba-

tim Babel,&c. Et tu adhuc vt talia & peiora ore sacrilego in Deum euomantur, noli Confœderationem repudiare, imò eam tuere. Excommunicationis sententia lata est, & fertur quotannis à summo in terris Christi Vicario, contra eos qui hæreticis, & eorum sectis in causa hæreseos fauent; eos iuuant & promouent. Atqui illi, qui Confœderationem hanc approbare, imò iuramēto se eam tueri obstringunt, hæc faciunt: & tu nihilominus vis vt Patres Regem & Dominum nostrum non moneant, quod talem Confœderationem citra æternæ salutis iacturam approbare non possit. Sed quid mirum, propter ista quæ vidimus Confœderationem hanc à Societate exagitari; quandoquidem ipsi hæretici, multò acriùs in eam inuehuntur. Audi Acephale quid pater tuus, Theodorus Beza, primarius Minister Caluinisticus in epist: Theol. *pag: 20. & 21.* de ea sentiat: Libertatem conscientiis permittere, sinere vnumquemq; si volet perire, merè Diabolicum dogma est. (Diabolus tamen nonnisi pro hæreticis tuendis hoc adinuenit) Et hæc est illa diabolica libertas, quæ Poloniā & Transsyluaniam hodie tot pestibus impleuit; quas nullæ alioqui sub sole Religiones tolerarent. Hucvsq; verba illius. Tu verò quid? Quia animaduertisti, nō reddi Iesuitas exosos Catholicis nostris propterea, quia illi Confœderationem vituperant; aliud quiddam contra eos mouisti & euomuisti. *Incitant*, inquis, *Iesuitæ Regē contra Rempub. & leges. In proximis enim Comitiis Varsauiæ, Dominica Misericordias Domini,* (verba tua sunt) *Anno 1606. P. Scarga, quod ipsi ex ore eius audiuimus, conuerso sermone ad Regem, sic cum alloquebatur: Eheu Rex, quorsum iam nobis res tua intempestiua conniuentia reciderunt? Reges olim Poloniæ de rebus ad Rempublicam pertinentibus cum solis Senatoribus deliberabant.* An non ita erat antè, inspice Chronica nostra. *Nunciorum istorum Terrestrium quos vocant, nullæ in his rebus partes erant; vt qui non ita dudum introducti sunt, &c. vbi etiam manibus ceu nutu indicauit, summa nimirum papauera demetienda esse.* Fateor si ista vera sunt, te iustam causam accusationis habere. Huius tamen rei culpa penes solum P. Scargam esset: reliqui enim omnes propter dictum vel factum imprudens vnius, nec crimen nec culpam vllam incurrerent; sicut nec facinus aut scelus vnius Poloni redundat in omnes. Verùm enimuero etiā ab eo Patre, culpa in hac re omnis

abest. Cur ita? quia tu illa verba mendaci ore ei imponis: quod probo non vno teste sed pluribus; præcipuis inquam Senatorib. Maioris Poloniæ: qui se, me postulante responderunt, Concioni illi adfuisse; nihil tamen tale in ea audisse. Vnde mentitum te esse dicebant. Habui & literas de hac re, à duobus Nunciis Terrestribus illorum Comitiorum; quos de ea re fueram percontatus. Vterq; illorum respondet; mendacium illud confictum ab aliquo maleuolo Societatis esse. Nouimus enim, inquit, & modestiam Patris, ac prudentiam à multis annis; & libertatem etiã nimiam nostrorum Nobilium: qui sine dubio verba talia, ferro etiam vindicassent. Hoc verò mendacio refutato, ruit illud aliud mendacium, quo secundum tuæ designationis caput concludis: vtpote fundatum in mendacio. *Iesuitas scilicet esse, qui diffidentiam inter Regni huius subditos, & supremum Magistratum serunt & augent; dum Regiam Maiestatem Nobilitati, Nobilitatem Regi suspectam efficiunt.* Tuus est hic scopus præcipuus; imò solus & totus, vt ostendi supra: Iesuitas suspectos & odiosos Regi & toti Nobilitati Polonæ reddere: quod, vt speramus in Diuina misericordia, nunquam efficies.

CAPVT XXII.

Præcipua designatio Societatis IESV, cura & propagatio Religionis Catholicæ.

SPerabam te iam tandem cum secundo designationis tuæ capite, finem quoq; conuiciis contra Patres Societatis IESV impositurum; quandoquidem sat multa iam effutiueras: vt exhaustus esse cum dolio tuo videri potueris; & tibi non aliud hîc superesse videbatur, quàm ad obiectiones quasdam, quæ sententię tuæ pro Societate IESV, à contrarium sentientibus, vt tu asseris, opponuntur respondere. Sed nimirum nimia tua sitis conuiciandi, restingui nondum potest: & facilius tibi est conuicia cõtra Patres serere; quàm rationibus obiectiones soluere. Cui instituto tuo; quod non aliud est, quàm illos conuiciari vsq; ad calcẽ libri satis facere vis. Institutum verò meum hîc scito idem fore, quod & superius. Non ergo rationes quas amici Patrum in causa illorum

illorum adferunt, vt possem, confirmabo, roborabo, & vrgebo; sed illos à conuiciis per ostensionem eorundem purgabo: &, vt aiunt, digito ostendam, quàm ineptè, friuolè & pueriliter obiectionibus satisfacias. *Primum ergo quod pro Iesuitis, ab illis, qui eos feruidissimè propugnant, adfertur, est* inquis, *Catholica Religio: à cuius interitu sibi metuunt, si eiectio illorum ex Polonia probaretur ac decerneretur. Præcipuum,* ais, *splendidum ac plausibile hoc est caput, defensionis Iesuiticæ.* Non est ita; sed præcipuum est innocentia illorum in eo, de quo accusantur, hæc primo loco adferri solet, hæc ad oculum ostēdi. Dicitur verò & illud aliud ab amicis illorum; non gratis tamen & absq; fundamento: habent enim rationes validas cur ita dicant. Sed quid tu ad hoc caput? Tria dicis: *Primum est: miraris quibus rationibus hoc sibi persuaderi patiantur amici Iesuitarum, Catholicam Religionem citra illorum operam in Polonia consistere non posse; cùm credant eandem Religionem, qualis illa nunc est, paulò minus quàm mille quingentos annos per orbem durasse, antequā Ignatius Loiola natus est.* Quid ais? negas non posse consistere Catholicam Religionem in Polonia sine Iesuitis. Cur ita? quia durauit eadem Religio talis, qualis nūc est, in mundo per mille quingentos annos, antequam Ignatius Loiola natus esset. Obstupesco acumen ingenij tui. Non vides pari tua Dialectica posse tolli ex Polonia vniuersum qui nunc est Clerum: potest enim sine illo consistere Religio Catholica. Quamobrem? quia eadem Religio Catholica, qualis illa nūc est, per mille quingentos annos in mundo durauit, antequam hîc Clerus natus esset. Aduertisné in hac ratiocinatione stultitiam tuam; in qua insuper te mentitum esse, non est quod demonstrē. Satis enim per se omnibus patet; cùm dicis Religionem Catholicam talem qualis nunc est, paulominùs quàm mille quingentos annos per orbem durasse, antequam Ignatius Loiola natus esset. Certè te ipso etiam teste infra non talis erat. Refrixisse multorū impietate feruorem: neglectum Sacramentorum vsum, quis, nisi talpa esset, in Regno Poloniæ ante aduentum Iesuitarum non animaduertat? Quotusquisq; autem Senator erat, qui in Curia pro fide Catholica zelum Dei haberet? Iam verò ex ipsa Nobiliū multitudine, quàm pauci qui sartam rectamq; Religionem conseruarent? Nunc cùm Monasteria (olim à pluribus deserta, & à

paucis

paucis habitata) Deo famulantium plena; pietatem quasi post liminio restitutam, errores sectariorum profligatos vides; qua mente & fronte, eundem semper in Polonia fidei statum viguisse asseueras? Sed hæc certiora sunt quàm demonstrari debeant. Alterum quod dicis est: *Christus & Apostoli non solùm Religionis propagationi; sed etiam eius æternæ conseruationi, per sufficientia media abundè prospexerunt.* Admittimus, sed quærimus, quomodo ostendis vel soluis; Ordinē Iesuitarū, (hoc enim est quod amici illorū dicunt, & suam primā defensionē probant; quod & publicè de illis Summi aliquot Pōtifices in suis Bullis testantur) non esse mediū necessariū; supposita hac præsenti prouidentia diuina, ad conseruationē his temporibus Religionis Catholicæ. *Hi autem, id est Apostoli, non Iesuitas, sed Episcopos, Presbyteros, Doctores, &c. ordinarunt; quorum officiorū non solùm nomina, sed etiam personæ inter vos supersunt. Igitur, si isti officiū suum rectè facient, Religio perseuerabit, quamuis in Polonia nulli Iesuitæ sint.* Semper es tui similis, neq; vnquam à te degeneras: nam quando non mentiris, nec Iesuitas calumniaris, ineptissimè loqueris; siue argumenteris, siue respondeas. Nunquid Iesuitæ non sunt Presbyteri aut Doctores? quod si tales sunt; vt tales esse certum est, igitur secundum te ordinati ab Apostolis. Hinc verò vides; quid tandem concludis. Sed quî scis Iesuitas non esse ordinatos ab Apostolis: quia non erant tunc cùm viuerent Apostoli? Egregiè, peracutè: igitur & præsentes Poloniæ Antistites, & Clerus reliquus, secundum te, non est ordinatus ab Apostolis: ac proinde quamuis nullus Clerus esset in Polonia; Religio tamen Catholica posset in ea sine illo conseruari. Hæc tua est argumētatio. Tertium, *Vlterius*, inquis, *dico:* dicere debebas, veritati mihiq; ipsi contradico. *Religionis curam & propagationem Iesuiticæ designationis minimam partem esse.* Oblitus es illius quod vulgò dicitur: Oportere mendacem esse memorem. An non dixeras in superioribus, omnes Religiosorum Ordines, in hunc finem esse inuentos & approbatos, in eumq; de facto tendere, vt deuotio per eos augeatur, & Religio Catholica magis splendeat, &c. *Quibus rebus*, inquis, *pro virili Iesuitæ student.* quod & à te verissimè dictum est, & à me alio, solidiore argumento, contra te tui immemorem; qui quod affirmasti, negas, non est probandum. O quàm rei ipsius

 euidentia,

euidentia, luce clariùs omnibus constat, etiam hæreticis; præcipuam partem designationis, Iesuiticæ esse Religionis Catholicæ curam & propagationem. Hoc testantur omnia Collegia illorum, quæ in Polonia & in Lithuania habent: in quibus, vt mihi exploratum est, degunt viginti sex Concionatores, & viginti Professores Theologiæ triplicis generis, videlicet Speculatiuæ, Moralis, & Positiuæ: Nouem Professores Philosophiæ: quadraginta quatuor Magistri Humaniorum litterarum: quatuordecẽ Præfecti Studiorum. Non numero Rectores Collegiorum, & nõ paucos Confessarios; qui omnes sedulò, qua cominus qua eminus, Religionem Catholicam, pietatem, & bonos mores propagant & promouent. I ergo tu nunc, & impudentissimè dicito; minimam partem designationis Iesuiticæ esse curam Religionis Catholicæ, & propagationis eiusdem.

CAPVT XXIII.

Quibus rationibus probat Acephalus minimam partem designationis Iesuiticæ, esse curam Religionis Catholicæ.

ACcedo ad argumenta, quibus idem, de quo superiore capite egimus, vano conatu adstruere moliris. Primum est: *Id,* inquis, *vel hinc apparet, quòd inter eos partes docendi in Ecclesia, inferioribus ferè committuntur; vt Primarij huius Ordinis, & qui ingenio præstant, sublimioribus artibus in aulis liberiùs vacare queant.* Omnes qui Iesuitas in Polonia norunt, vno ore clamant, te, aut cerebrum penitus amisisse, aut si non amisisti, ita intemperantem & criminosum esse; vt nullus sit te intemperantior. Sciunt enim ipsa docti experientia, nonnisi præcipuis inter Iesuitas, ingenio, pietate & doctrina, aliisq; dotibus, qui ad hanc rem valent, habita ratione loci, & auditorum, committi officium docendi in Ecclesia. Destinantur etiam eidem muneri ij, qui cum maxima laude, permultos annos Theologiam Scholasticam; quæ maximum ingenium requirit, docuerunt. Multos tales numerare possem, sed quia ipsæ personæ in oculos omnium incurrunt, supersedebo.

Alterum argumentum ducis ab experientia. *Idem*, inquis, *testatur experientia. Iesuitæ enim magis obstiterunt Religioni Catholicæ, quàm*

vt eam

vt eam promouerint. O malè ſanum mali architecti caput, quod malè extruxiſti, peiùs demoliris. An non tuum hoc eſt? Ieſuiticæ deſignationis minimam eſſe partem, curam & propagationem Religionis Catholicæ: quod euertis, dum Ieſuitas obſiſtere veræ Religioni aſſeueras. Sed probas tu hoc ipſum egregiè: *Omnes*, inquis, *in vniuerſo Catholicos mecũ conſentire opinor in eo.* Verùm neq; in eo neq; in aliis; in quibus te, homine Catholico indigna tenere, in ſuperioribus oſtendi, tecũ ſentiunt: & quia in iis, in quibus te hæreticũ vt nolis oſtẽdis, in aliam à te abeunt ſententiam: neq; in hoc tibi ex mendaciis conſuto conſentiunt; vtpotè quibus eſt perſpicuum Ieſuitas non obeſſe, ſed prodeſſe Eccleſiæ Catholicæ. Ais: *Ibi demum Religionem Romanocatholicam creſcere & florere, vbi Concilij Tridentini Canones & Decreta acceptantur, & iuxta eosdem creditur & viuitur.* Cur ergo tu folio quinto infamis tui libelli, hoc ſacroſanctum Concilium lingua impudentiſſima; cùm præſertim Catholicum te in illo, & non ſemel fingas proſcindere auſus es; cùm per illud Religionem Catholicam creſcere & florere exiſtimes. *Sed experientia*, inquis, *perſpicuè teſtatur, Concilij iſtius executioni, vix quidquam hactenus obſtitiſſe; quàm Ieſuitarum practicas & ſeditioſum feruorem.* Quis hanc experientiam habuit, cui illa hoc teſtata ſit? te ipſum exiſtimas huiuſmodi eſſe. O teſtem fidelem, id eſt, teterrimum poſt hominum memoriam falſarium. Quid oppones miſer, cùm negauero? ſed neq; tu opponere curabis; ſatis enim tibi eſt, Ieſuitas crimine falſo affeciſſe. Quid verò dices, cùm te ipſum contrarium docuiſſe oſtendero? Ita ſe prorſus res habet. Dicis enim in ſuperioribus; omnium tumultuum qui in Patria noſtra excitati ſunt hiſce temporibus, præcipuam cauſam eſſe diſſidiũ Religionis: huius verò cauſam eſſe reformationem inſtitutam, à Concilio Tridentino; hoc eſt, (verba tua ſunt) leges factas in illo, quibus Pontifices ſuam authoritatem ſtabiliunt, & ſtatum ſæcularem, ita ſibi ſubiiciunt ac conſtringunt, vt ſuæ libertati contra eundem in perpetuum caueant. *Harum autem legum & ipſius Concilij* (verba tua ſunt) *præcipui ac fideles promotores, ad hoc etiam peculialiter inſtituti à Pontificibus, ſunt Ieſuitæ; ac propterea pellendi à Polonis, ſi Patriam ſuam liberam eſſe à talibus malis & ſaluam volunt.* Non ergo Ieſuitæ obſtiterunt executioni huius Concilij; quandoquidẽ

 te teſte,

te teste, illis ex instituto incumbit curare, vt executioni mandetur; & iam pridem in præcipuis partibus mundi, in quibus est Societas, acceptatum est,& iuxta illud creditur & viuitur. Nóné hæc quæ nunc attuli, te non solùm conuiciatorem, sed & hæreticum, & quidem putidum; quamuis te alium fingas, clarè ostédunt. Non audebas dicere, exterminandum esse Concilium Tridentinum ex Polonia; sed tamen hoc volebas, imò potiori iure decere dicebas. Asseris enim à prædicto morbo, hoc est à tumultibus, turbis & seditionibus, à quibus his temporibus Patria nostra conquassata fuerat, sanari eam non posse, quamdiu causæ externæ & internæ morbi non tollantur. Præcipuam verò causam talis morbi doces esse Concilium Tridentinum: Iesuitas verò tãtùm executores istius Concilij: qui licet pellantur, adhuc tamen causa morbi non tolletur, & Summi Pontifices inuenient alios, quos executores & promotores prædicti Concilij instituant, & substituant. Video hîc & aliud: postulas & suades hoc tuo consilio, & hac tua argumentatione, vt omnes Religiosi, imò & vniuersus Clerus ex Polonia pellatur: nam & illis, imò magis quàm Iesuitis, idq; ex officio incumbit, promotio & executio Concilij Tridentini. Quanto rectiùs & veriùs fecisses, si dixisses; exterminetur pessima Confœderatio ex Patria nostra, & erit illa salua: nam ea sublata, præter alia, tollitur & dissidium Religionis; quod est morbus, quo Patria nostra laborat. Nolo pluribus, vt possem, hanc rem, id est Iesuitarum practicas executioni Concilij Tridẽtini nequaquam obstitisse, ostendere: quia hoc vnicuiq; Catholico; imò & hæretico per se clarum est.

Tertium argumentum quod ad idem probandum facis, est tale: *Religio vel voce, vel honesta vitæ conuersatione, vel scriptis propagatur, & defenditur.* Tantum né his, & non etiam officio mentis, per orationes, &c. vel effusione sanguinis; quo vtroque modo Patres Societatis Iesv, Religionem Catholicam, etiam in illis locis, vbi ante aduentum illorum non erat, propagarunt ac defenderunt. Audi, quamuis tibi audire displicebit. habent iam Patres ex suis, in tam paruo tempore, & quando ferè totus mundus Christian⁹ est; centum viginti duos Martyres, qui sanguiné suum pro Religione Catholica profuderunt. *Vocis*, inquis, *ministerium, Conciones*

& Con-

& Confeßiones comprehendit. Non plura? vbi repones doctrinam Christianam; per quam rudes de rebus fidei instruuntur: quæ familiarissima est Iesuitis, vt ad eam docendam, ad pagos etiam excurrant. Vbi etiam collocabis scholas, in quibus iuuentus ad pietatem informatur, & res fidei edocetur. *In Concionibus Iesuitæ, &c.* Iam fers iudicium de Concionibus & Concionatoribus; & quidem præcipuis, quos in Patria nostra habemus; Sed sutor vltra crepidam. Videamus tamen quales illos dicis. *Sunt,* inquis, *subtiles.* Addo ego, tales esse pro loco & tempore: vtilitati enim magis & deuotioni audientium seruiunt, quàm ostentationi: vnde facile abstinent in Concionibus à Theologicis rebus speculatiuis & difficillimis; quæ tamen si vellent, feliciter tractare possent. Quod si Societatis Concionatores, subtiles sunt in concionibus, ergo ingeniosi: hoc verò concesso, vt concedi necesse est: oportet etiam & hoc aliud concedere; te mentitum fuisse cùm dixisti; munus docendi in Ecclesia inter Iesuitas committi inferioribus, & iis qui ingenio non præstant. Pergis, *sunt & diserti, & in concitandis affectibus acres; quæ duo necessaria sunt Concionatori: tamen has dotes corrumpũt elocutionis siue actionis (hanc quidam hypocrisim dicunt) gesticulatoria leuitate, &c. In Confeßionibus verò audiendis, quanquam valeant Iesuitæ; tamen interdum non satis pudicum examen instituunt: & satisfactionis illa insidiosa, multoties etiam auara impositione, plurimos offendunt, &c. Quod verò attinet ad vitæ conuersationem; quanquam Iesuitæ studiose vitarent illa vitia, quibus Clerus antehac turpiter deformatus, Laicisq́; exosus redditus fuerat: tamen prodiderunt profundam suam auaritiam, & circũueniendarum Nobilium familiarum, viduarumq́; & orphanorum decipiendorum callidum artificium. Scriptio deniq; illorum, si dictionis characterem spectemus, tersa est & arguta: si orationis artificium, florida simul & neruosa: affectatio tamen illorum nimia in his apparet, &c.* Sed quamuis omnia ista quæ asseris vera essent; sequiturne iam ex illis minimam partem designationis Iesuiticæ esse curam & propagationẽ Religionis Catholicæ; & non potiùs præcipuam: quandoquidẽ eam, te etiam teste, tot modis & mediis diuersis ac præcipuis procurant. Sed aliam tu Dialecticam à tuis Philosophis habes; per quam tibi licet ex eadem præsumptione, iuxta viride ac cæruleũ, æquè violam atq; carduũ colligere. Deniq; quodcunq; ex quo-

eunq;, vt tibi libuerit, & opus fuerit inferre. Eſt & alia cauſa cur tales facias ratiocinationes: quia ſcilicet eas ex dolio vacuo, id eſt, ex tuo capite malè ſano, vt ipſe fateris, depromis.

CAPVT XXIV.

Mendaciter & imperitè Aduerſarius carpit Ieſuitarum Conciones, Confeſſiones, &c.

IMperitum te nimis & intemperata libidine mordendi Ieſuitas, exæſtuantem oſtendiſti, in hac tua ſugillatione & vituperatione. An non inſcitia & profunda ac locuples ignorantia: ab omnibus ridenda eſt, aſſerere; dotes præcipuas optimi Concionatoris; quas tibi nolenti veritas, vt eas Ieſuitis tribueres, extorſit, corrumpi ab iiſdem elocutionis geſticulatoria leuitate? elocutionem idem eſſe cum actione? eandem rectè hypocriſim appellari? Non cadit imperitiſſime mortalium vlla leuitas geſticulatoria in elocutionem: illius enim munus eſt tantùm, cùm quid inuentum fuerit & diſpoſitum videre, quonam modo; id eſt, quàm ornatè & quàm copioſè eloquendum. Elaborat etiam eadem, vt formet, vt figuret, vt animet, vt coloret inuenta atq; diſpoſita: illa deniq; aſſumit verborum & ſententiarum lumina; & quidem talia, quæ illuſtriora & oportuniora ſunt loco, tempori, & argumento. Sed non plura de hac re; neq; enim mihi propoſitum eſt, partes elocutionis deſcribere; ſed tuam tantummodò imperitiam oſtendere. In actionem verò poteſt quidem cadere leuitas geſticulatoria; ſed ab ea Concionatores Societatis tam longè abſunt, quàm tu à veritate, vel cœlum à terra. Nullus illis hactenus hoc obiecit: nullus eos etiam diligens & peritus hac in re notauit. Niſi fortè tu actionis geſticulatoriam leuitatem eſſe putes (in quo tota virtus actionis à ſapientibus collocatur) vocē, geſtum, vultum, & totam corporis compoſitionem, orationi etiam Eccleſiaſticæ, & diuina tractanti prout illa poſtulat conformare: vt ſcilicet ſumma vehementer dicantur, mediocria grauiter, humilia leniter: & tonet cùm opus eſt, & fulminet; rurſus aliquando blandiatur, influat & illabatur. Ex his verò conſtat diuerſam eſſe Actionem ab Elocutione. Hypocriſim deniq; ſi Co-

micam

micam aut Tragicam intelligis; non prorsus ea est aliena ab Oratore; si vitium quod sancti Patres & Theologi definiunt, quo quis factis vitæ integritatem & sanctimoniam fingit ac simulat, cupiens & studens bonus haberi & prædicari; vel vt D. August: breuiùs: Hypocrisis est simulata innocentia. Et lib: de Sp: & litera ad Marcellinum: Hypocrisis est astutia & dolus, cùm superbus vult iustus videri. Et hanc, inquit, Hypocrisim intelligit Apostolus *2. ad Cor: 4.* cùm dicit: Abiiciamus occulta confusionis, non ambulantes in astutia. Hoc verò conuenitné actioni leui & gesticulatoriæ? si affirmas: insanis profectò & constringendus es. si negas: inscitiam tuam prodis.

Iam verò nonné intemperata est libido mordendi Patres Societatis, asscribere illis in exercendo munere Concionatoris, ardentissimæ ambitionis affectum; vel inexhaustam calumniandi aduersarios, id est hæreticos, & cõuiciandi libidinem. Satis clarè ostendis, te necdum audiuisse Iesuitam concionantem: hæreticorum Ministrorum hæ sunt partes & dotes. Vtrumq; illis, tibi etiam secundum conuenit. Longè verò Iesuitas ab ambitione esse, pulcherrimè ostendit Henricus IV. inuictissimus Rex Galliæ. Mirari satis non possum, (suos sic alloquebatur Senatores) Patres Societatis à vobis ambitionis insimulari; cùm toti mundo clarum sit, eos dignitates quascunq; Ecclesiasticas non admittere; imò voto se obstringere ne illas affectent. Sed cur tu hæreticorum tantoperè misereris: magnus enim es vbiq; illorum protector. Quis tam abominandis conuiciis & maledictis ex Orco ipso accersit affecit hominem aliquem in Concionibus; sicut Ministri hæreticorum affecerunt Iesuitas? Legantur illorum Postillæ, ipsi etiam auditores illorum de hac re interrogentur: imò qui Iesuitas in Concione non proscindit, Concionatorem apud illos nõ agit. Cur ergo tu potiùs, si Catholicus es; vt te esse simulas, Iesuitarum vices non doles? Simile est argumentum intemperatæ tuæ libidinis; cùm asseris Iesuitas in Confessionibus excipiendis, non satis pudicũ examen instituere, & satisfactioné insidiosam & auarã imponere. Hem hominé impudicorũ & iniustorũ patronũ misericordé: Spectatum admissi, risum teneatis amici; Quis præter te & Gabrielem Lermæum impudicũ Caluinistã,

Iesuitis

Iesuitis hactenus hoc obiecit? Cur ergo ad illos libentiùs quàm ad alios Confessionis causa, homines etiam pauperes accurrunt? illis exceptis, qui necessarium examen, nec ipsi per se facere, nec ab alio institui volũt; qui rudem & imperitum medicum animæ quærunt, & qualitatem peccatorum suorum sciri nolunt. Putas tu forsan non teneri Confessarium, interrogare circumstantias peccatorum, species, numerum, & alia quæ ad legitimam Confessionem faciendam pertinent: maximè cùm pœnitens deficit, nec satis paratus, (quorum maior pars extat communiter) accedit. Diligens ergo, & requisitum examen tu impudicum vocas, quod, si pudica mente & ore fuisses, neutiquam dixisses: Castitas, pudicitia & modestia Patrum Societatis, in factis, gestis, & verbis, (neq; enim interrogant ea, quæ pudor vetat rogare) satis nota est toti mundo; vt propter ipsam, etiam ipsis hæreticis admirationi sint. Ex satisfactione deniq; tali, qualem imponunt Iesuitæ in Confessionibus, (quando illa necessaria est; quia scilicet vel restitutio facienda est, vel peccata eleemosynis redimenda sunt) sciunt pœnitentes, nihil ad ipsos Iesuitas deriuari. Tantum enim illi hac in parte, sicut & in aliis rebus, bonæ famæ suæ consuluerunt; vt cùm restitutio pecuniaria, vel alterius generis facienda est à pœnitentibus, vel ipsi pœnitentes aliquid in eleemosynas pauperibus distribuendum offerant, quod per Confessarium expediri vellent, nequaquam tale negocium suscipiant.

Auaritiam, & artificium circumueniendi Nobiles familias, viduas & orphanos, toties iam Iesuitis sine vlla probatione & fronte obiecisti: sed neq; hoc ipsum ex te ipso habes; corrasisti enim ab aliis. Cæterũ vicissim respondere debueras ad ea, quæ vel ipsi Iesuitæ, vel alij pro ipsis circa hanc rem attulerunt; ita vt aduersariis os occluserint. Nomina tu non familiam aliquam; sed vnũ aliquem Nobilem, virum aut fœminam, quam illi circumuenerunt aut deceperunt.

De scriptione Iesuitica qualis sit, non imperitorum est, aut cerebro destitutorum, qualis tu es; vt non semel iam demonstraui, ferre iudicium. Certè viri huius ætatis doctissimi, sicut multum tribuunt Iesuitis in omni genere scientiarum; ita omnem prorsus fastum, aut affectationem à dictione illorum abesse, vident

vident & fatentur: ob eamq; etiam causam, suspiciunt eam, & amant, simulq; authores illius. Iusto Lipsio viro clarissimo, & quẽ iure optimo quidam, literarum seculi nostri lumen, appellârunt, non charus modò, sed clarus etiam atq; laudatus ob scriptionem fuit P. Martinus Delrius, homo Societatis; In eodem honore fuit P. Franciscus Bentius à natura Poëta, apud Muretum Oratorẽ celeberrimum: ea quæ P. Petrus Maffæus scripsit, ita eidem probabantur, vt ad veterum Scriptorum laudem, ipsum peruenisse pronunciaret. P. Franciscus Turrianus ab eruditissimis, quasi cognomento proprio, doctissimus appellabatur. Alij aliis in deliciis, & viuit ac viuet apud eos semper nominis eorum gloria. Quid tu hîc dices Acephale? audebisné delirium tuum de affectatione scriptionis Iesuiticæ anteferre iudicio tantorum hominum? Apage inuerecunde, apage monstrum. Sed enim nescio quibus verborum ambagibus, ex aliis iam, existimationem scriptionis Iesuiticæ imminuere contendis. *Prudentissimi*, inquis, *de illorum scriptis, sic sentiunt.* Qui illi prudentissimi? cur eos, vt alios, vel etiam reluctantes, in eandem cum illis confessionem cogas, taces? cur, vt robur huius sententiæ, & authoritatem addas, non producis? O os impudens? ô fallere assuetum? Sed quid illi tui, qui nec extant, nec exciterunt vnquã, prudentissimi sentiunt. *Hoc tantùm*, inquis, *Iesuitas scriptis suis effecisse, vt Catholicos suos inflammatos concitauerint.* Prudentissimi ergo illi non Catholici sunt: quippe eos etiam scriptis suis Iesuitæ concitassent. At taliumné iudicio, qui Religionem Catholicam funditus euertunt, standum est; cùm res agitur, (quod hîc fit) de eadem Religione, cùm disputatur qui eam promouerint, &c. Enimuerò latet etiam venenum in illo verbo *concitauerint.* cur nõ explicarunt, quid illo intelligant? estné hoc prudentissimorum? Quod si nullum venenum in eo subsit; tamen mendacium continetur: nam etiam tepidos Catholicos Iesuitæ (quorum magna pars erat, ante aduentum illorum) inflammarunt & feruentes effecerunt. Quid plus adhuc, prudentissimi illi de scriptione Iesuitica? *Partem verò aduersam, id est Hæreticos, acuerint & obfirmarint.* Non plura? & vbi illud: Ministris illorum, perfidis & astutis, æternum silentium imposuerunt? vbi, etiam plurimos ex numero hæreticorum conuerterunt,

uerterunt,

uerterunt, & Ecclesiæ Christi adiunxerunt? quot tales hic etiam in nostra maiore Polonia: & non cuiusuis generis homines; sed illustres, sed potentes. Quod si aliquos ex illis acuerint, & obfirmarint; num iccirco hæc culpa illorum erit? & tamen tu hoc illis tanquam culpam obiectas. Sed meminisse debebas Christũ Seruatorem multis in ruinam & scandalum positum fuisse. Quid, quod vel ex ipsis diuinis literis, Sanctorumq; præclarissimis factis, pleriq; aconitum, putris instar aranei hausêre? num Christum eam ob causam damnare & diuinas sacrarum literarum paginas flocci pendere, os scelestum audebis? Abi cum tuis blatero nugis ad tui similes, nec proborum innocētiam temerè lacessas.

CAPVT XXV.

Quomodo soluat Acephalus rationes quibus probari solet primum caput defensionis Iesuiticæ.

AD *amplificandum*, inquis, *præcipuũ caput defensionis Iesuiticæ, congeruntur ab amicis res gestæ ab Ordine Iesuitarum; barbarorum nimiũ, sub vtroq; mundi axe, & hæreticorũ, in hisce partibus felicissima conuersio.* Nunquid non vtrumq; horum, quæ Dei est ingens bonitas in prædictam Societatem, & dignatio summa, verum est. sed nec tu negas ista, neq; etiam concedis: & tamen cùm respondes malitiosè carpis & arrodis. *Sed primum*, inquis, *horum, id est barbarorum conuersio, ex iis locis, nimirum ex vtraq; India petitur, ex quibus aliquis non solùm verum dicere, sed etiam securè mentiri potest; præsertim in Polonia.* Verissimè indicasti mihi, talis planè locus est caput tuum. Sed retracto quod dixi, dum melius consydero, non est talis; quia ex illo verum dici non potest, mentiri verò vbiq; idē, non tamen semper, securè potest. Hoccine est argumentis satisfacere, quod tu te facturum magnificè iactabas? ludere vis cùm seriò est agendum? sed non mirum: tu aliter facere non valebas: concedere etiam quamuis verissimum esset, omnino nolebas; quia Iesuitis honorificum esse videbas. Sed reddis rationem, cur ita respondeas; difficultatem scilicet explorandi, vtrum ita se habeant illa, quæ de conuersione barbarorum facta à Iesuitis dicuntur vel non. *Castilienses enim*, inquis, *& Lusitani, nullum extraneum in illas Regiones admittunt.*

admittunt. Ergo omnia explorare volebas, & vtraſq; Indias adire; ſed quia Hiſpania infeſta tibi, & valde inimica, tranſeunda eſſet, pedem retrahis. Itané nihil tu vis credere eorum quæ dicuntur de Ieſuitis, niſi ipſe videris ea & exploraueris? ſed non eſt ita: bona enim tantùm quæ de illis dicuntur non vis credere: omnia verò mala, vndecunq; dicantur, quamuis non videris ea nec exploraueris vltrò credis: imò aliquando, quamuis non audieris nec videris, ipſe tibi fingis. Talia ſunt illa ſupra à nobis examinata, & à te dicta ex Anglia, Tranſyluania, Gallia, &c. & quæ hîc ex Scotia, de coniuratione contra illius Regni Regem Iacobum facta à P. Critonio Ieſuita in Hiſpania, & tandem propalata, non ſine miſera ſtrage plurimorum ex primaria Scotiæ nobilitate: de qua coniuratione facta ab hoc Patre, nemo Scotorũ, nec ipſe Rex Iacobus hactenus audiuit. Ieſuitæ etiam dicunt, nullum numero ſuorum Critonium eſſe vel fuiſſe: exiſtimant verò te mendoſè nomen deſcripſiſſe, & P. Guilhelmum Critonum Scotum intellexiſſe. Hic ille eſt, quem, dum in Scotiam iter haberet, Oſtendenſes ceperunt, & captum Elizabethæ Reginæ Angliæ tranſmiſerunt: cui tam gratum & acceptum id munus fuit; vt præter alia, Ductorem aurea catena remunerauerit, Patrem verò vinctum in carcerem Londinenſem detruſerit. Hinc totius tuæ fabulæ occaſionem fortaſſis deſumpſiſti; & ex Anglia Scotiam, ex Gallia Hiſpaniam feciſti. Sed audi quiddam inſigne, ex quo tuum vel aliorum; ſi ab aliis mutuatus es, mendacium colliges. Teſtes, ex quibus hoc quod referam accepi, tibi nequaquã ſuſpecti erunt; ſunt enim Caluiniſtæ Angli, teſtimoniis ſuis typis impreſſis. Recitant ergo iſti, primo loco epiſtolam P. Critoni, quam ex illo carcere dederat 2. Apr. Añ 1584. ad Franciſcum Valſignanum Amanuenſem Reginæ Elizabethæ; quem illa ad prædictum Patrem miſerat, vt ſibi re præmeditata ſignificaret, an Parrius Anglus, quem illa in carcere tenebat, coniurationis contra ſe factæ nomine, aliquid ſecum in Gallia aut alibi, de nece eiuſdem Reginæ contuliſſet. In hac epiſtola, non aliud continetur; quàm quomodo & quibus rationibus in Gallia diſuaſiſſet prædictus Pater, Parrio meditanti ſcelus, ſeu necem Reginæ. Recitant ſecundo loco Confeſſionem Parrij, qui cùm à Regina in-

 terroga-

terrogaretur, ita se rem habere, & prædictũ Patrem multũ Lugduni in se retrahendo ab hoc scelere laborasse affirmauit. Vltimo loco tandem narrant, quid Regina his auditis & intellectis fecerit. Tantam, inquiunt, admirationem hæc res habuit apud Reginam; vt extemplò iusserit Critonum educi è custodia, vinculisq; leuari; eius deniq; literas promulgari Londini, vt sciretur ab omnibus, Iesuitas non profiteri Reginam impunè interfici licere. En habes quomodo Critonus cõiurationem fecerit. Scio etiam factam fuisse Anno 1 6 0 6. 5. August. contra Regem Iacobum in Scotia, in oppido Perth, aliâs S. Ioannis, conspirationem, à Comite de Gouri Scoto: & ab Alexandro Ruthueno fratre eius, propter cædem patris. sed illa sicut nonnisi horum tantum duorum cæde expiata fuit, ita P. Critono à nullo, neq; tunc neq; postea etiam in Scotia asscripta. Sed ad suum filũ redeat oratio. Pergis, *Secundùm. id est hæreticorum conuersionem factam in Polonia à Iesuitis, non prorsus*, inquis, *nego: vt de qua oculorum aspectus testetur.* Credo benè quòd omnino negasses; nisi hæc res sub aspectum oculorum omnium caderet. *Opus tamen ipsum, non tam doctrinæ Iesuiticæ, extraordinariæ virtuti, quàm argumentorum aureorum & argenteorum ponderi adscribendum censeo; quibus ferè vtuntur: quorum perennem copiam eis, Ecclesiæ Romanæ fauor, aulæq; Polonæ iucundus calor sufficit.* Mendacium hoc esse, & quidem triplex, ostendit tua probatio. nam ad probandum illud, nihil aliud facis, quàm tuum illud, *Ita censeo* occinis. & tuum censere sicut & occinere nihil aliud est, quàm mentiri; vt hactenus ex tuis verbis ostendi. Certè si te amor veritatis tangeret, argumentis id probare, (quod facillimum fuisset, si ita esset) non simplici asseueratione affirmare debebas. Et quanquam non esset necesse alio argumento vti, ad ostendendũ te in hac re, non dicere verum, quàm illo quo iam vsus sum, & quod hactenus verum non dixeris; tamen vtar. Probandæ igitur & confirmandæ huius rei, quam assero, testes appello omnes hæreticos, probitatis amantes viros; quos aliquando Iesuitæ cõuertebant: qui tamen in sua hæresi propter arcana Dei consilia permanserunt. Testabuntur illi, me vera loqui; nunquam scilicet Iesuitas promissis muneribus, auro aut argento, Religionem Catholicam illis suasisse. Testes appellaui illos hæreticos, qui in

sua hæresi

ſua hæreſi permanſerunt; non verò illos, qui à Ieſuitis Religioni Catholicæ adiecti ſunt; ne teſtes tibi ſuſpecti eſſent; quibus tu tamen, quam magnam iniuriam facias, edici non poteſt: maximè non paucis viris, nobilitate, dignitatibus in Republica noſtra, & diuitiis propriis ſuæ familiæ florentibus. Illi porrò non auro vel argento, ſed ferro vel fuſte reſponderent ad hanc tuam calumniam; ſi nomen tuum prodidiſſes. Vide igitur quàm inſigniter ſis mentitus. Pergis, ſed mentiri. *Inter quæ tamen hîc inter nos quandoq; vitrea argumenta concurrunt; pro quibus alibi in vicinia ferrea ſubſtituunt.* Quæ verba quàm iniurioſè & inſolentiſſimè ſint prolata à te, abſque fronte & mente, non eſt opus oſtendere: tota enim Polonia, tanta quanta eſt, teſtabitur, & vno ore dicet, te procaciter & intemperatè mentiri; cùm omnibus exploratiſſimum ſit, Ieſuitas longiſſimè ab hoc vitio abeſſe, ab ebrietate scilicet, & concertatione poculorum.

CAPVT XXVI.

Fingit quaſdam rationes Aduerſarius, & quomodo fictas ſoluat.

HIC etiam, in paruis rebus, & ex quibus nullum vel paruum incommodum, Patribus Societatis ſequitur, eundem te contra illos eſſe prodis. An non ita eſt, cùm dicas; *congeſtos etiam fuiſſe ad amplificandum caput primum defenſionis Ieſuiticæ, ſucceſſus præcoces diuinos & miraculoſos illorum in Moſchouia, & auguſtam ſpem* (verba tua ſunt) *quam ex illo tractu, & nobis & Romanæ Eccleſiæ oſtentant: quæ tamen omnia, qualem exitum habuerint, nemo;* inquis, *ignorat.* De his ſucceſſibus quos tu intelligis, diuinis & miraculoſis, Patrum Societatis in Moſchouia, nos nihil intelleximus: tu igitur tibi illos, more tuo fingis, vt Ieſuitas carpas. Scito tamen Ieſuitis totum id, cuius gratia ex Polonia iuerant in Moſchouiam, optimè inibi ſucceſſiſſe. hoc enim non aliud erat, quàm poſtulante Demetrio, militibus nationis noſtræ, qui eum in Ducatum illum deducebant, (quomodo autē iſtud illi, & quàm fælici ac miraculoſo ſucceſſu perfecerint, quandoquidem eum in ſede illius Ducatus, contra omnem vim, maiorem potentiam & conatum illius gen-

tis collocarint, non ignoras) in rebus spiritualibus, & ad conscientiam & salutem animæ pertinentibus inseruire: quod & præstiterunt, cum summa Ordinis sui laude, & militum Polonorum satisfactione. Quære ab illis, & ita se rem habere inuenies. Cur verò non poterat dici augusta spes illa, felicissimorum suo tempore successuum, pro Ecclesia Catholica in Moschouia: quandoquidem singularem Ducis Demetrij clementiam & beneuolentiam in se Patres Societatis experirentur, propensionem etiam illius ad promouendam fidem Catholicam viderent. Vsus est enim Demetrius Patribus Societatis; Magistris in literis Humanioribus & Historiis: illisq; etiam Collegium seu Vniuersitatem nec speratam, nec petitam, aduocatis etiam ad hoc studiosis aliundè, qui Vniuersitatem facerent, extruere & dotare, causa Religionis Catholicæ propagandæ, decreuerat. *Sed ipsi etiam,* inquis, *Iesuitæ; vt hîc foro vtantur, videri volunt, eos qui illorum eiectionem & ex aula remotionem suadent, id malitiosè agere; vt abactis canibus ab ouili, oues luporum sæuitiæ prostituant.* Tu etiam hîc teipsum prostituis: nam sine vlla necessitate & vtilitate fingis. quem enim Iesuitarum hoc dixisse in tali causa, maximè propter sui remotionem ab aula, audiuisti? multò verò magis te prostituis, & maximum fictorem omnibus clarè ostendis, cùm ad hæc verba; quasi Iesuitarũ essent, hoc pacto respondes: *Quod si Iesuitæ canum illa valde ambigua appellatione ita delectantur.* Vnde habes Iesuitas ambigua hac appellatione delectari? Fortasse quia se canes vocant; hoc enim tantum de illis, quasi ex illis dixeras. At sequiturné illud hinc, quamuis verum esset, vt non est; Iesuitas asciuisse sibi nomen canis, seq; illo appellare? quis nisi stultus putabit? Certè nemo se deberet vocare peccatorem (quales se esse etiam sanctissimi viri fatebantur) quia tu statim inferres, eum gaudere tali appellatione. Et quamuis oblectarentur Iesuitæ illa nominis nota, quod malum hoc esset; cùm etiam scriptura sacra apud Isaiam c. 56. ea delectetur. *Vt sibi solis eam vendicent.* Hoc maius est mendacium priore: nec tale quicquam ante erat in obiectione. Cur ergo cùm eam vis soluere, plus ipsi addis, quàm ante haberet. *Indicari mihi vellem.* Indicabo quàm ineptus & futilis es, hîc quoq; in respondendo: *quid de reliquo ordinario Clero sentiant? num hos fortè pro vulpibus habere velint?*

velint? Non illum, sed te. Sic tu argumentum illud, quasi Iesuitarum esset soluis. Negas scilicet; quamuis non apertè, Iesuitas veraciter canes dominici ouilis, arcentes ab eo luporum sæuitiam, dici, ab aliis vel à se ipsis posse. Cur ita? quia reliquus, inquis, Clerus ordinarius, pro vulpibus haberi deberet. Egregiam sanè responsionem, & dignam tuo cerebro. Sed cur etiam tunc ille pro canibus haberi non posset? & quamuis non posset; si verum esset, vt non est, solos Iesuitas canes esse; Nunquid enim omnes Doctores? nunquid omnes Concionatores? &c. icirconé iam vulpium nomen Clero remaneret? Cur non possent appellari Ministri Christi, adiutores Dei, Pastores, &c. Vides si non cœcus es, vt deliras.

CAPVT XXVII.

Rectè iuuentutem instituunt Iesuitæ.

SEcundo loco opponi ais pro Iesuitis; *Instituendæ iuuentutis, nescio quod occultum & exoticum artificium: propter quod Respublica Iesuitarum opera carere nullo modo queat.* Amicorumné sunt illæ voces, & quidem defendentium ac laudantium Iesuitas, apud inimicos ipsorum; eos scilicet habere exoticum artificium iuuentutis instituendæ. Tua sunt illa verba fraudulentissime & mendacissime homo. Ita assuetus es iam mentiri, vt etiam aliena sine mendacio narrare non possis. Tua ista ô monstrum calumniandi & mentiendi libido, quam tu in Germania à Ministris hæreticis, patribus tuis didicisti; exotica est in Polonia nostra, id est aduentitia & peregrina. *Et hic prætextus superioribus æstimationis pondere non multum cedit: cuius tamen vanitatem viri in omni genere disciplinarum exercitatissimi, qui Romanocatholicam Ecclesiam publicè profitentur & defendunt, iamdudum demonstrarunt, rationibus firmissimis euidenter ostendendo. primò Iesuitas plus obfuisse bonis litteris: secundò, eorum disciplinam, meram esse corruptelam ingeniorum.* Mendacium est, instituendæ iuuentutis artificium, quod pro Iesuitis adfertur prætextum esse. Causa enim est, res ipsa & veritas; cui hucusque nemo eruditus Catholicus quicquam (quanquam tu plures ex illis fuisse, & quidem in omni genere exercitassimos asseueras, quorum tamen

neminem

neminem citas, sed vt soles, dicis) opposuit; sed rabula Arnaldus & Catechista buccinator Gallus, hæreticus vterque, imperitissimus vterque. Ab his tu ista ad verbum descripsisti, horum stultissimæ rationes, apud te demonstrationes; & straminea argumenta, firmissima sunt documenta. Vide illa si tibi placet ventilata & in nihilum redacta apud Franciscum à Montibus, c. 26. & 47. & apud P. Ludouicum Richeomum c. 5. Ego præterea his duobus te mentiri ostendo. Primò, experientia, quæ perspicuè docet Patres Societatis, studia humi vbiq; depressa & derelicta excitasse, & ad tantum culmen, fastigium, & perfectionem, in qua nunc ea videmus extulisse ac perduxisse: quod etiam viri doctissimi, ex quorum numero aliquos ego supra produxi, agnoscunt, affirmant & prædicant. Testatur & hoc aliud, eadẽ experientia, eosdem Patres à Deo immortali, insigni quadam industria, ad educandam excolendamque iuuentutem in literis & moribus donatos esse, plurimosq; ex scholis illorum viros illustres, & in eo genere scientiarum, quod ab illis tractatur, & in omni genere virtutum Christianarum exercitatissimos euasisse, & tanquam miracula aliqua seculi prodiisse. Secundò, vniuersi orbis Christiani testimonio, qui contrarium tuis dictis clamat, omnium Ciuitatum, omnium Prouinciarum, Regnorum, Regum, orbis ipsius deniq; terrarum tripartiti, hæc est sententia, hoc iudicium, hic communis sensus & consensus; Iesuitas miro artificio ad excolendam iuuentutem è cœlis donatos. Ad hoc præcipuè mundo iam senescenti & vitiis repleto, & in iisdem inueterato, eosdem à Deo missos esse; vt iuuentutem saluberrimis præceptis instruant: illorum deniq; disciplinam, diuinam esse quandam ingeniorum institutionem. Nega si potes; quid enim tibi post tot mendacia, quæ fœdissimo ore euomuisti illicitum est. Ne tamen hoc vniuersi populi Christiani testimonium negare audeas; cùm voces illius exaudiri non possint, en habes, vnde omnia ita se habere intelliges: contentiones orbis totius videlicet de tradenda Iesuitis sua iuuentute, suis dulcissimis, iucundissimisq; pignoribus committendis: studia concertantia & tam importuna Iesuitas in suis Prouinciis habẽdi: sumptus quos in exstruendis Collegiis, & instruendis necessariis, faciunt. Iam

vides

vides vter hîc mentiatur, fallat, aut fallatur, tunč ſcilicet vnus, an vniuerſus orbis Chriſtianus; qui Ieſuitas propter inſtituendam iuuentutem accerſit, ornat, amat, & commendat? En habent hoc tempore Ieſuitæ in vniuerſo orbe Collegia, in quibus iuuentutem inſtituunt, trecenta, &c.

Concludis hoc caput tali elogio: *Inueniuntur ſine Ieſuitica inſtitutione in omni genere exercitatiſsimi viri inter ipſoſmet hæreticos: quos hæc ſecta, nempe à nobis pro talibus tractari vult & haberi.* Magnus es vbiq; Encomiaſtes hæreticorum, inter quos reperiri aliquos, in aliquo genere ſcientiæ exercitatos, non renuo: eſſe tamen inter illos, in omnibus ſcientiis exercitatiſſimos, omnes etiam quamuis ſumantur, conſtantiſſimè nego. Nullum adhuc vidimus ex illis alicuius notæ Philoſophum, ſiue naturalem, ſiue moralem; multò minus Theologum: qualis nec eſſe poteſt hæreticus, cùm Theologia innitatur veræ fidei, à qua longè abſunt hæretici. Illud rideo effuſiſſimè: quòd pro cœco furore ac libidine conuiciandi Ieſuitas, amens ac cerebro deſtitutus, dicis, ac tanquam crimen illis obiicis: *Inter ipſos hæreticos, quos hæc ſecta à nobis pro talibus tractari vult & haberi.* Doles ergo quòd Ieſuitæ hæreticos velint à vobis, id eſt à Catholicis, haberi pro Hæreticis; num tu illos volebas habere pro Catholicis? Cùm autem Ieſuitas ſectarios aut ſectam vocas, illud oſtendis; te non ſolùm in ipſos Ieſuitas, ſed in totam Chriſtianitatem iniurioſum eſſe. Vniuerſa enim Eccleſia Chriſti, & caput ipſius, hanc Societatem vocat & approbat, vt Religionem. Sed tu mauis cum Magiſtris tuis, Luthero, Caluino, & Viclepho ſentire; quorum eædem ſunt voces, quæ & tuæ, de omnibus Religioſis.

CAPVT XXVIII.

Ieſuitæ à Gallis reuocati ſunt.

A*Dfertur, inquis, & hoc ab amicis Ieſuitarum pro illis. Inconueniens eſſe vt Ieſuitas Poloni expellant; cùm Galli qui propter longè grauiores cauſas* (quod tuum mendacium eſt) *eos eiecerant, eoſdem reuocauerint.*

Ego

Ego verò (verba sunt ex tripode) *noui Iesuitas in Galliam reuersos esse*, (ô quàm velles non nouisse) *sed quòd à Gallis fuerint reuocati, ne ipsi quidem, quamuis multa dicunt,* (tuum est hoc proprium, non illorum) *facile dicturi sunt.* Quod si dixerunt iampridem, & non semel; & non ore tantùm, sed & typo, & non apud inscios harum rerum: tunc enim te mentitum esse, tuo ipsius ore fateri deberes. Quoties te iam oporteret recantare cantilenas malè cantatas. Audi ergo: Inuenio quatuor Iesuitas in libris suis, ante aliquot annos typo expressis, claris ac dilucidis verbis dicere; Societatem Iesu à Gallis in Galliam reuocatam esse. Primus est P. Antonius Valaderus, in sua epistola; quam Apologeticæ responsioni Latinè ad Henricum IV. editæ, præfixit. Vniuersum enim ordinem Senatorium Galliæ, sic ille alloquitur: Videmus tandem, Numine propitio & prosperante, Rege beneuolente, Pontifice rogante, Regno efflagitante, Societatem Patriæ postliminio redonatam & restitutam. Ibidem gratias illis agit, quòd Societatem reuocauerint, & semper protexerint. Secundus est P. Antonius Posseuinus, in suo apparatu sacro, tomo 3. doctissimus vir & clarissimus; vbi asserit Decreto publico Parlamenti, & Consiliariorum Regni, in præsentia Regis, Anno 1604. Ianuarij 2. restitutionem Societatis IESV factam fuisse: quo etiam tempore prius illud decretum contra illos latum, cassatum fuit. Tertius est P. Iacobus Gretserus, in libello à me supra citato. Quartus verò P. Petrus Scarga, Ecclesiastes Regiæ Maiestatis, in sua Proba quā edidit Cracouiæ Anno 1607. ad afflictos Regni Poloniæ filios; quorum vterq; eadem dicit, quæ & alij duo priores. Addis, *Sciendum esse Iesuitas in Galliam non propter aliquem illorum vsum, quo Regnum illud carere non possit, receptos esse; sed ad vehementissimam Summi Pontificis instantiam; vel vt alij, vt hac ratione Rex suæ securitati consuleret; quia aliter nunquam à Iesuitarum eiectorum insidiis tutus fuisset.* Exclamo vt audias, mentiris. Reuocati enim sunt propter magnam vtilitatem, tum vniuersæ Ecclesiæ Catholicæ, tum Regni Galliæ; propter innocentiam suam, quam Deus Regi innotescere fecerat: denique propter Academiam Sorbonicam, cui multum de splendore antiquo, & frequentia studiosorum (ô res mira & tamen ve-

men ve-

men vera) ob absentiam Patrum, decesserat. Has causas ipse Rex Henricus IV. assignauit Parlamento, cur Patres Societatis reuocaret: quo tempore etiam dixit; se animaduertisse, cùm de restituendis Iesuitis ageret, duplicis tantùm conditionis homines, iis contradixisse, Vgonotos scilicet & Ecclesiasticos malos; propter quod ipsum Iesuitæ, inquit, mihi magis sunt commendati. At quomodo Regius animus tibi melius innotuit, quàm ipsimet Regi: qui quem animum haberet, & quid potissimum spectaret in reuocandis Patribus, candidissimè aperuit & toti mundo patefecit. Cui magis credendum, tibiné sine Deo & fide humana & diuina, improbissime, an syncero, & amantissimo veritatis, Regi? Sed tu nisi falsa affingeres, nec scribere nec loqui posses: quod ne accidat, mauis & stultus, & mendax videri & dici, quàm indisertus. Poteras tamen acutiùs fingere; nam valde stultè & crassè eructas, ideo Regem Patres reuocasse, vt ab insidiis illorum occultis & continuis liber esset. Scilicet sic insidiæ declinantur & amouentur? accersere est hoc insidias, & intro quodammodo admittere, se suamq; salutem in discrimen, periculosius, grauius & occultius coniicere. Nam vt hostis quamdiu arcetur ab ingressu vrbis & domus, tamdiu non omnino timendus est vitæ & fortunis: sic & insidiæ, nondum intus receptæ & admissæ, facilius caueri, minusq; nocere possunt. Nec quisquã adeo delirus inuenitur, vt cupiens liber & tutus fieri ab insidiis, vltro eos qui sibi struunt insidias, in sinu suo concludat, foueat, & accersat. Vides vt deliras grauiter.

CAPVT XXIX.

Quid reliquæ chartæ Acephali contineant.

QVid amplius habes de Iesuitis? *Duo,* inquis, *Primum est, non esse illos vocandos in ius, quamuis non pauci inter eos nobiles inueniantur, neq; causa cognoscenda; sed non auditi etiam, nec legitimè conuicti, Regno pellantur.* Benè vt video, consulis tuæ accusationi. An non hoc pacto pessum dares omnem innocentiam? Ergo veritati

clauditur aditus, ne detegat mendacium & seipsam purget? Licebat tibi eos vt volebas calumniari; & illis non licebit tuis calumniis respondere? Hoc autem nonné est contra leges omnium gentium, contra leges iustitiæ, contra mentem omnium bonorum, iusti & æquitatis amantium: maximè verò contra iura & priuilegia Nobilitatis Polonæ? Quid quòd Deus ipse non prius Adamum condemnauit, quàm dixerit, Adam vbi es? Et ad Caim; vbi est Abel frater tuus? Deniq; nonné ipsum ius naturæ, reo iubet dare audientiam, & cùm crimen enorme & ambiguum alicui obiicitur, probatione & testibus opus esse docet? Ita est; sed contra Iesuitas ius naturæ, Gentium, & Polonicum, mutari debet. Sed tu inquis, *Regula illa hîc locum habere nequit, propter causas quæ sequuntur. Prima est, quia agitur de Reipublicæ salute; quæ perturbata est, & periculum in mora.* Sed quod periculum illud erat? En iam tertius ferè annus agitur, vt illos pelli non audita causa postulabas (quot anni non erant necessarij vt Iesuitæ se purgarent, ab iis, quæ illis obiiciebas) quid mali tandem passa est Respublica? Maius est periculum à tuo dolio, quod à nequissimo Caupone diabolo calumniatore habes. *Secunda, quia hîc agitur de incommodis & detrimento Reipublicæ, quæ ex Iesuitarum instituto semper metuenda sunt; etiamsi ipsæ personæ puri Angeli essent.* Quanta vis veritatis, DEVS bone. En veritas homini mendacissimo extorsit, magnũ quid; quod innocentiæ & gloriæ Iesuitarum plurimum seruit. Cur ergo tot mendacia contra illos confinxisti? Cur tot conuicia contra eosdem euomuisti? non quia nocentes sunt Iesuitæ pelli debent ex Polonia: non quia mali; sed quia Respublica Polona metuit sibi aliquod incommodum, ex instituto illorum. Cuius iste metus? cuius hæ voces? nequissimi & hominis mendacissimi. *Tertia, quia Iesuitæ neminem iudicem in Polonia agnoscunt.* Cur non desinis mentiri: an non in causis terrestribus, & bona temporalia attingentibus Iesuitæ ordinarios iudices in Regno Poloniæ agnoscunt; & eorum iuri ac sententiæ se submittunt? Sed à quo tu vis pelli Iesuitas ex Regno Poloniæ? *A iudice,* inquis, *id est, à deputatis ex Equestri ordine.* Cur iidem etiam non potuissent cognoscere causam, in qua Iesuitæ à te accusantur; vt si pellendi

sunt,

ſunt, pellantur cauſa cognita, auditi & legitimè conuicti. Vides quomodo tua figmenta pallies.

Alterum quod de Ieſuitis habes, eſt; *vt bona illorum omnia mobilia ad vtilitatem Nobilitatis, cui maior pars illorum detracta eſt, conuertantur. Noſocomia etiam aliqua publica ex illis inſtituantur. Ita nimirum, & quod ſemel piis vſibus deſtinatum eſt, iiſdem manebit: & ipſius Nobilitatis damnum, quod à Ieſuitis, Ieſuitarumq; artibus, ſe accepiſſe queritur, aliquo modo reſarcietur.* Tuæ ſunt iſtæ querelæ homo mendaciſſime, tui latratus. quomodo enim Nobilitas Polona conqueri poſſit contra Ieſuitas, cùm nullum damnum paſſa ſit ab illis in bonis immobilibus? Præcipua aliquot Collegia, Poſnanienſe, Caliſſienſe, Vilnenſe, Pultouienſe, Bransbergenſe & Luceorienſe, fundata ſunt ex bonis Eccleſiaſticis; non Nobilitatis, ab Antiſtitibus illorum locorum. Rigenſe, Derpatenſe, & Polocenſe, fundata ſunt à Stephano Rege amantiſſimo Societatis; quem tu etiam quamuis improbus ſis, & deteſtandæ memoriæ; appellas virum laudatiſſimæ memoriæ. Alia verò Collegia ſuperſtites adhuc habent ſuos Fundatores. Queriturné Illuſtriſſimus ex familia Ducum Nicolaus Radiuilus, Palatinus Vilnenſis qui nunc eſt: ſe damnum à Ieſuitis & Ieſuitarum artibus accepiſſe, propter Collegium, quod iiſdem propria liberalitate, in Ciuitate ſua Ducali Neſuiſij pro multis hominibus fundauerit & exornauerit: quòd nobile & planè Regium templum erexerit, ſupellectiliq; ſacra auctum opulentum reddiderit? Doletné etiam Illuſtriſſimus Palatinus Cracouienſis Nicolaus Zebrzydovski, qui in partem fundationis Lublinenſis Collegij vnà cum Illuſtriſſimo Bernardo Macieiovski, Cardinali Sacræ Rom: Eccleſiæ, non ita pridem è viuis ſublato, venerat? Tu ſolus cum Iuda doles, & clamas: vt quid perditio hæc? tanquam inimiciſſimus diuini cultus, & veræ Catholicæ fidei propagationis.

Ecce habes argumenta tua, non refutata modò, ſed conculcata; conſilia, nefariaq; ſtudia patefacta, calumnias & machinationes deprehenſas: mendacia & conuicia repreſſa: deniq; maledicentias coërcitas. Cernis tuum dolium apertum, & ex illo nequiſſimum liquorem mendaciorum effuſum; quo tu benè

 potus

potus & impudens factus, quid non effutiuisti. Quid restat, nisi quod meum sit de te iudicium vt exponam, teq́; coloribus tuis, penicilloq́; tuo, non in tabella, sed in hoc libro depingam; quod libenter & veraciter, sequenti & vltimo capite faciam.

CAPVT XXX.

Qualis author consilij infamis.

TOta hæc tua accusatio, quanta quanta est contra Patres Societatis à te instituta, erit eis loco Panegyrici & Encomiasticæ orationis; & crimina quæ eis imposuisti, virtutũ his vitiis oppositarum, testimonia & notæ erunt certissimæ. Tibi verò vtrumque, perpetuam infamiam inuret, & pœnas quæ ex præscripto legum diuinarum & humanarum, eos manent, qui innocentes mendaciter & calumniosè traducunt ac infamant, adferet. Sed quem ego te esse dicam; quod me facturum tibi superiore capite pollicitus sum. Hominem gnarum alicuius boni, vocare non possum; cùm mendaciis, nugis, inscitia, fabulis & ignorantiis omnes tuas infames chartas impleueris. Probum & frugi at mendax & calumniator hoc nomine vocari nõ solet. Patriæ ciuem bonũ? at nihil minus tu quàm hoc cogitas, & nõ est istud ingenij tui. Christianum? quis tetrior hostis nominis Christiani. Catholicum? absit; qui Catholicorum Principem ac Patrem omni malo incessis.

Vocabo ergo te:

In sedem Apostolicam, contumacẽ, superbũ ac contumeliosum.
In Ecclesiam Catholicam, hostem infestum.
In Regem Poloniæ, iniuriosum.
In Patriam, improbum.
In criminatione tua, ignarum, errabundum, imprudentem, vagabundum, præcipitem.
In innocentes, furiam furentem, & immanem conuiciatorem.
Ad nomen Iesuitarum, furiosum, & calumniis disrumpendum.
Encomiastem hæreticorum.
Peiorem hæretico.
Audacissimum ad mentiendum.

Malum

Malum medicum.
Peiorem Oratorem.
Pessimum Philosophum. Deniq; dignum proscriptione.
Pluribus dignior coloribus; sed nequitiam pingere viuis coloribus, tu etiam quamuis alio penicillo nosti.

Hæc verò cognomenta, non impono tibi veluti ex affectu, animiúe perturbatione; sed ex ratione & scriptis tuis deducta. Tu mihi quid dices, argues meam fortasse responsionem, & repetitum frequenter; mentiris, calumniaris, conuiciator, mendax, &c. & ita te à me aliquando refutatum exultabis, pessimus in re pessima. quomodo potest aptiùs mendax reprehendi, quàm si ei in aperto mendacio deprehenso dicatur, mendax es: hîc mentiris, & similia. quomodo grauiùs & veriùs refutari, quàm vt notatus inimicus veritatis, ostendatur palàm quòd calumniator sit, & alienæ famæ inimicus? Propinaui igitur frequentiùs tibi hoc merum tuorum mendaciorum, vt effusum resorberes; vel quod magis optarem erubesceres, & linguam mendacem tuam corrigeres, & imbueres liquore veritatis.

Datum Posnaniæ, Anno Domini, 1609.